DE NARRATIONIBUS

QUÆ SUNT

IN SANCTI AUGUSTINI SERMONIBUS

THESIM PROPONEBAT

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

L.-Cl. DELFOUR

PRESBYTER




PARISIIS

APUD E. LEROUX BIBLIOPOLAM

Via dicta Bonaparte, 28

1892





DE NARRATIONIBUS

QUÆ SUNT

IN SANCTI AUGUSTINI SERMONIBUS

NEMAUSI, TYPIS GERVAIS-BEDOT

DE NARRATIONIBUS

QUÆ SUNT

IN SANCTI AUGUSTINI SERMONIBUS

THESIM PROPONEBAT

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

L.-Cl. DELFOUR

PRESBYTER



PARISIIS

APUD E. LEROUX BIBLIOPOLAM

Via dicta Bonaparte, 28

—

1892

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO

Gaston BOISSIER

GRATI ANIMI ET REVERENTIÆ MONUMENTUM

PROŒMIUM

Multa quidem de Sancti Augustini eloquentia, periti oratores, Meldensis noster episcopus, ut exemplis utar, et Cameracensis archiepiscopus aliique doctissimi existimatores litteris mandarunt. Quot virtutibus oratoriis præditus fuerit ille non intellegendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister, neminem, nostra ætate, fallit. Ut Tullius inter Romanos, ut Demosthenes inter Græcos, ita Augustinus, omnium consensu, inter Christianos oratores principem locum tenet.

At Augustinus suis orationibus haud paucas narrationes miscuit, ad quas si animum dirigamus, aliquid in arte oratoria et in litterarum historia sane efficiemus. Quod enim unus ex eruditissimis viris (1) nuper de quodam magno et præclarissimo Augustini opere (2) pronuntiavit, hoc in narrationes quibus *Sermones* ornati sunt, ex parte conferam. Scilicet narrationes, quanquam orationibus ipsis rariores sunt et breviores, dignæ ta-

(1) Ebert, *Histoire de la Littérature en Occident*, ch. IX.

(2) *De Civitate Dei.*

men haberi possunt, quæ litteratorum virorum oculos animosque in se convertant. Ea enim omnia, quæ in *Sermonibus* narrantur, attente consideranti, et eximia quædam oratoria virtus plane apparet, et illud, quod fere omnes rhetores de nostro Doctore sentiunt, impar et quasi mancum videtur.

Nemini dubium est quin eloquentia et historia inter se nexæ sint et non raro sibi invicem utilissimum auxilium præstent. Etenim apud Thucydidem aut Cæsarem aut Tacitum, multas orationes reperias, quæ maximam opportunitatem habent, cum historiæ ornamento sint et altissimas auctorum cogitationes exprimant. Qui igitur antiquam historiam recte existimat, ille sparsas huc et illuc orationes silentio prætermittere non potest. Ex alia vero parte, non pauci oratores, ad exemplum Crassi aut Tullii, cum eloquentia artem narrationis conjungunt, ut suas orationes venusta varietate distinguant. Quin etiam, in litterarum historia majora et mirabiliora ab eruditis viris inventa sunt. Etenim, cum antiqui oratores ejusdem orationis diversas partes inter se disponebant, alii quidem exordium, alii argumentationem, alii conclusionem sibi suscipiebant. Eos igitur causidicos, qui plerumque expositionem in causis excipiebant, potius narratores quam oratores jure vocare possumus. At contra, nonnulli historici scriptores, sui proprii muneris quasi obliti et quadam peculiari cupiditate inducti, veras doctissimasque contiones faciebant, ipsaque facta oratoria ratione explicabant. Ita Livium, qui historica tantum opera edidit, ante omnia esse præclarum oratorem et ipso Tullio fortasse eloquentiorem fere omnes litterati viri nunc existimant. Non quidem de Sancto Augustino oratore eadem atque de Tito Livio historiarum scriptore dicenda sunt, sed Augustinus in suis *Sermonibus* se narratorem sæpissime præbet. Quas igitur ob causas hoc dicendi genere usus sit, quæ narraverit, et qua

arte, quibus in rebus a maximis oratoribus discrepet, aut in quibus rebus sit eorum similis, verbis explicare mihi in animo est.

Sed cum ea omnia, quæ sentio, plane expromere jam operæ pretium sit, ambigue dicta quæ in mentem lectoris venire possent, demere imprimis conor.

Ad orationem narrationes accommodare et audientibus gratissima tantum præbere et omnia, quæ sunt narranda, diligenter enucleare, hoc quidem maximi momenti est, hoc antiqui rhetores suos discipulos docuerunt. « Aper-« tam enim narrationem, ait Tullius, tam esse oportet « quam cetera ; sed hoc magis in hac elaborandum est, « quod et difficilius est non esse obscurum in re nar-« randa, quam aut in principio, aut in argumento, aut in « purgando, aut in perorando ; et majore periculo hæc « pars orationis obscura est quam ceteræ ; vel quia si quo « alio in loco est dictum quid obscurius, tantum id « perit, quod ita dictum est ; narratio obscura totam ob-« cæcat orationem... Ac, si quando erit narrandum, nec illa « quæ suspicionem et crimen efficient, contraque nos « erunt, acriter persequamur, et quidquid poterit, de-« trahamus : ne illud, quod Crassus, si quando fiat, perfi-« dia, non stultitia fieri putat, ut causæ noceamus, acci-« dat. Nam ad summam totius causæ pertinet, caute, « an contra, demonstrata res sit ; quod omnis orationis « reliquæ fons est narratio (1). »

Addendum est quod peritus orator ad veritatis similitudinem ducit narrationem et omnia apta ad delectationem lectoris captat et dat opus ut « quodvis sit simplex dumtaxat et unum ». Longe abest ut hanc narrandi optimam speciem et quasi figuram ab omnibus rhetoribus tum antiquis tum recentibus adumbratam negligere aut despicere aut, ex parte, mutare velim. Narrationes enim, quæ sunt

(1) *De Oratore*, lib. II, c. LXXX-LXXXI.

in Sancti Augustini *Sermonibus*, cum illa perfecta narratione, quam litterati viri expresserunt, conferam et ex hac comparatione, quid sit de nostri Doctoris ingenio existimandum, statuam. « Namque ut in figuris et formis est « aliquid perfectum et excellens cujus ad cogitatam spe« ciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa ca« dunt, » sic perfectæ narrationis speciem, sine ulla intermissione, animo videbimus. Attamen hanc rationem rerum inter se conferendarum, quamvis in scholis usitatam, et utilissimam immoque necessariam, usurpare, ni fallor, non satis est. Augustinus enim, dum *Sermones* suos coram Hipponensibus aut Carthaginiensibus civibus pronuntiabat, quodam peculiari munere fungebatur, quod plerique rhetores minime advertunt. Itaque noster præclarissimus Meldensis episcopus bene nos edocet Augustinum digressionibus et similitudinibus frequenter usum fuisse duplicem ob hanc causam, quod plebem compellabat et auctores sacros imitabatur (1). Unde fit ut novum illud christianæ narrationis genus, quod finxit Augustinus, cum novo rerum ordine congruat atque ideo ad novam disciplinam revocandum sit. Quod si eum leges a rhetoribus — iisque peritissimis — constitutas rumpentem aliquando deprehendamus, non offendemur, sed in omnia penitus instrospiciemus et quodcumque existimandum esse arbitrabimur, sincera fide, dicemus. Nam qui eximias orationes a Thucydide, a Cæsare, a Tito Livio et a Meldensi episcopo habitas una eademque ratione ponderaret, ille in maximo errore versaretur. Non aliter, narrationes quæ apud Tullium reperias, a narrationibus quæ sunt in Sancti Augustini sermonibus discernere æquum est. Quin etiam, si diu et attento animo sermonibus Hipponensis episcopi studeas, novam et peculiarem et optimam præclarissimamque nar-

(1) *Défense de la Tradition et des Pères*, liv. IV, ch. XVIII.

randi figuram, quasi ex necessitate, mente concipies. Ego quidem non possum non plurimi facere, et magnopere diligo illum pium Narratorem qui, sine ullo apparatu et omissis multis rhetorum præceptis, pulcherrima aut miserabilia, coram Christiano populo, refert. Hunc mollissimo animo spectandum esse arbitror a litterato viro, qui de Sancti Augustini narrationibus rectum judicium facere conatur.

Ne tamen ulla suspicio sit me dissidere cum doctissimis magistris, qui bene narrandi præcepta finxerunt aut expresserunt ! Tempore enim opportuno , cuidam perfectæ dicendi formæ, quædam alia forma ad mores novos aptissima subjicienda est. Itaque non cur duo oratores inter se differant deprehendere, sed duo genera narrandi, varia immoque diversa et quæ se invicem expleant, intellegere nostra interest. Cui operi incumbemus donec, hac nostra investigatione, quæcumque ad Augustini narrationes pertinent, consecuti erimus.

Ubicumque locos Augustini usurpavimus, illa editione usi sumus, cui nomen monachorum ordinis Sancti Benedicti inscribitur.

CAPUT PRIMUM

Cur Augustinus ad narrandum propensus fuerit

—

Inter recentissimos e litteratis viris mos est inquirere quas ob causas auctor quilibet ad hoc vel illud dicendi genus assumendum incitatus fuerit. Platonem quidem, ut exemplo res declaretur, instituisse illa divina colloquia personarum, quæ tum tragœdiis tum comœdiis simillima sunt, et artem Sophoclis aut Euripidis aut etiam Aristophanis in nostram memoriam revocant, nequaquam demiramur, propter hanc causam quod præclarissimus ille philosophus, dum juvenis erat, quid in arte tragica posset, tentavit. Par est igitur nos demonstrare cur Augustinus qui orator, philosophus et episcopus erat, narrationes tamen cum suis *Sermonibus* plerumque conjunxerit.

Primum omnium quosnam Magistros noster Doctor præcipue secutus est, percontandum esse statuo. Etenim illi celeberrimi scriptores, quorum exemplaria, nocturna diurnaque manu, versamus, in nostris animis quasi in cera imprimuntur. Atque tribus auctoribus, scilicet Vergilio, Platoni et Tullio, qui sunt inter se paulum similes, Augustinus summo ardore studuit. Ab Vergilio quidem initium duco, propterea quod cum philosopho aut christiano oratore maximam dissimilitudinem habere pri-

mum videtur. Non ægre tamen, etiamsi de sola narratione cogites, nostrum Doctorem Vergilii omnia opera præsertimque divinam *Æneida*, imitando sæpissime expressisse perspicies. Vergilium enim suo heroico carmini maxima varietate distinguendo vehementer operam dedisse neminem fallit : illas notissimas narrationes, quæ ad duas columbas, ad Elysios Campos, ad Camillam spectant, potissimum consequi possumus, quin operis universitatem detrectemus. Ita Augustinus qui non raro christianos oratores ad delectandum populum hortabatur (1), severitatem sermonum gratissimis narrationibus mitigabat. Præterea, omnium poetarum epicorum inter quos enitet Vergilius, non disputare, non orare, sed res in medio ponere, facta oculis subjicere, et, ut breviter dicam, semper narrare officium est.

At Augustinus, cum carminibus Vergilii, ab ineunte ætate, imbutus fuisset, poeticas narrationes, quibus *Æneis* abundat, non imitari non potuit. « Namque, ut ipse ait, « dies totus tum in rebus rusticis ordinandis, tum in « recensione primi libri Vergilii peractus est (2). » Occurritur quidem nobis a doctis : Augustinus, fortasse dicent, dum suos ultimos libros, præsertimque *Sermones*, litteris mandabat, quidquid ex antiquis auctoribus hauserat, acriter repudiabat. Eum quidem ad christianam doctrinam se applicavisse et antiqua carmina in dies reliquisse fateor ; sed, ut ait Hieronymus, Augustini æmulus, si litte« ras didicisses, oleret testa ingenioli tui quo semel fuis« set imbuta ; lanarum conchylia nullæ aquæ diluunt (3).» Idem Hieronymus, postquam, suadentibus angelis, a poetis, oratoribus dilectissimoque Tullio se prorsus re-

(1) *De catechizandis Rudibus*, pars I, 14, *de Hilaritate comparanda.*

(2) *De Ordine*, I, 26.

(3) *Apologia adversus libros Rufini*, I, 30-31.

moturum esse pollicitus erat, versus Vergilii plerumque imprudens invitusque proferebat. Quid igitur sentiendum esse dicemus de illo mitissimo Augustino, qui non aliter ac Hieronymus profanis scriptoribus veniam dabat, immoque optabat ut Vergilius in christianum paradisum reciperetur ?

Platonis opera, quanquam in Græcis litteris minime versabatur, assidue noster Doctor legebat, in animo cogitabat et sciens prudensque imitabatur. Porro, divinum Platonem res dicendo oculis subjicere et facta egregie narrare et adulescentium ludos quamlibetve fabulam summa arte effingere, quis nescit ? At non solum Platonem Augustinus imitatus est, sed etiam nonnulla scripsit, quæ Platonicæ narrationis veram speciem referunt. Omittam quidem celeberrimam illam platanum cujus in umbra adulescentes a Platone et ab Augustino ficti inter se de philosophia colloquuntur. Quoddam tamen unum exemplum afferre mihi liceat : « At Trigetius religione commotus, cum etiam verba sua scripta esse nollet, urgebat « Licentius ut manerent, puerorum scilicet more, vel « potius hominum, proh nefas ! penes omnium, quasi vero « gloriandi causa inter nos illud ageretur. Cujus motum « animi cum objurgarem gravioribus verbis, erubuit : « qua ejus perturbatione animadverti ridentem lætantemque Trigetium. Et ambobus : Itane agitis, inquam ? « Nonne vos movet quibus vitiorum molibus atque imperitiæ tenebris premamur et cooperiamur ?..... Hic « ubi ne plura dicerem, lacrymæ mihi modum imposuerunt .... Probabis, ait Licentius, quam purgatiores futuri sumus. Modo illud obsecramus per omnia quæ diligis, ut ignotum nobis velis atque illa omnia deleri « jubeas ; simul ut parcas etiam tabulis quas jam non « habemus. Prorsus, inquit Trigetius, maneat nostra « pœna, ut ea ipsa quæ nos illicit fama, flagello proprio a

« suo amore deterreat (1). » Nonne apparet Augustinum hic meminisse horum suavium et quasi divinorum adulescentium, quos Socrates, referente Platone, philosophiam gratissimam docebat et a pravitate mentis ad virtutem gradatim deducebat ?

Haud dubium est quin Augustinus in Tullianorum librorum studium magnopere diuque incubuerit. Num vero narrationibus immensam operam dederit easque imitando effingere voluerit, fortasse quæri potest. Inprimis tamen attendamus Augustinum proferre, aut explanare, aut laudare non tam orationes Tullii quam philosophica colloquia, præsertimque illum celeberrimum *Hortensium*, quem eruditi viri desiderant. Porro ille *Hortensius*, sine dubio, complectebatur digressiones similes digressionibus, quas in libris, qui inscripti sunt *Brutus*, *de Republica*, *de Legibus*, et in ceteris ejusmodi opusculis, reperias. Satis est sane in memoriam nostram revocare mortem Crassi, aut Scipionis somnium, aut innumeras illas narrationes quæ ad historiam eloquentiæ spectant.

Ipsam autem eloquentiam si consideremus, Tullii discipulum Augustinus se præbet. Etenim, cum celeberrimi oratoris contiones assidue legeret, frequentes et gratissimas narrationes, quæ se lectori dant in conspectum, quadam ex necessitate animadvertit et certo judicio ponderavit. Illæ quidem doctissimæ disputationes, quas Tullius, multis in libris, ad narrationem adhibuit (2), impediebant quominus Hipponensis episcopus deciperetur. Hic enim rhetoricæ regulas, quas, multos per annos, tum Romæ, tum Mediolani, tum etiam Cassiciaci erat professus, omnino cognitas habebat. Denique illas sollennes laudationes apud recen-

(1) *De Ordine*, lib. II, cap. 10 et 11.

(2) *De Inventione*, lib. I, cap. XX-XXII. — *Rhetorica ad Herennium*, lib. I, cap. VIII-X.—*Brutus*, LIII.—*De Oratore*, lib. I, cap. XV ; lib. II, cap. LXXX-LXXXII.

tes Romanos usitatissimas, in quibus narrationes quasi necessariæ sunt et maximum locum occupant, adulescens ediderat.

At ejusmodi auctoritatem Vergilio, Platoni Tullioque noster pius Doctor libentissime tribuebat : narrationes quidem eum valde delectabant : « Notissima, inquit, pietas « patris nostri Abrahæ reddita nobis est in memoriam per « recentem lectionem : et est quidem ita mirabilis, ut nul- « lum cor arbitrandum sit tam obliviosum, ut inde ali- « quando elabi possit. Verumtamen nescio quomodo, quo- « tiescumque legitur, quasi tunc fiat , ita afficit mentes « audientium (1). » Quæ verba certo significant summam esse apud Augustinum illam rarissimam animi mollitudinem, qua Titi Livii historiæ Vergiliique poemata gratissima facta sunt. Sed scriptores , alii alio modo , misericordia commoventur. Quidam enim sua secum , sine ulla intermissione, cogitantes et suo proprio dolori ingemiscentes, nonnisi de se ipsis loquuntur. Horum in numerum fere omnes elegorum aut lyricorum carminum auctores , Alcæum, aut Catullum plurimosque e recentissimis poetis recte adscribas. Quidam autem alii , a se ipsis , ut ita dicam, se ipsos deducentes, nonnisi res, quibus dant operam, inspiciunt. Homerici quidem poetæ (2) adeo sui obliti sunt et antiquorum heroum moribus aut factis explicandis se dederunt , ut ipsi « ignoti longa nocte urgeantur. » Ejusmodi poetæ, qui in rebus maximis aut optimis aut pulcherrimis multum delectantur, eas oculis omnium subjicere cupiunt atque ideo ad narrationes accommodant. In his Augustinus profecto numerandus est. Ut enim homerici poetæ juvenem nitidamque Græciam complectebantur, ut Vergilius Romanorum antiquæ religioni , historiæ

(1) *Serm. II*, cap. I.

(2) V. Les Narrations dans Homère, *Histoire de la Littérature grecque*, par MM. Alfred et Maurice Croiset, vol. I.

pristinisque moribus dabat operam, ita Augustinus ad doctrinam christianam totum se conferebat. Itaque, ut illam altissimam doctrinam notam faceret, optima exponendarum rerum ratione utebatur atque ita ad narrationes frequenter adhibendas ducebatur.

Adde quod Augustinus religionem christianam, tum quasi summam doctrinæ, tum quasi seriem factorum a Deo ipso ordinatam mente comprehendendam esse censebat. Quotiescumque autem, non de doctissimis colloquiis evolvendis, sed de populo edocendo cogitabat, ad eam christianæ religionis partem, quæ versatur in historia, ferebatur. Summam enim sacrarum Scripturarum in quibus eloquentiæ et poeseos quodlibet genus reperias, unam et vastissimam esse narrationem existimabat. « Si « ergo, inquit, maxime propterea Christus advenit, ut « cognosceret homo quantum eum diligat Deus, et ideo « cognosceret, ut in ejus dilectionem, a quo prior dilectus « est, inardesceret, proximumque, illo jubente et demons- « trante, diligeret, qui non proximum, sed longe peregri- « nantem diligendo, factus est proximus; omnisque Scrip- « tura divina, quæ ante scripta est, ad prænuntiandum ad- « ventum Domini scripta est; et quidquid postea manda- « tum est litteris et divina auctoritate firmatum, *Christum* « *narrat* (1). »

Denique nostro Doctori propria quodammodo et peculiaris virtus erat, ut omnia quæ cogitabat suaviter effunderet et altissimæ dulcissimæque veritatis amicos, discipulos et populum christianum omnimodo participes faceret. Sæpissime quidem cum auditoribus aut lectoribus, oratoria ratione, eum agere fatendum est; sed quanta opportunitate orationi cuilibet preces miserabiles, dialogos, digressiones et omnia dicendi genera includit!

(1) *De catechizandis Rudibus*; pars I, 8.

illis celeberrimis *Confessionibus*, quas docti indoctique legunt, formam et quasi naturalem notam nostri Magistri inesse arbitror. Omnes enim a se ipso puero aut adulescente gestas res enarrat, genu nixus, Deumque orans, et interdum cessat, ut lacrimas effundat et cuncta more philosophorum explicet.

Attamen in altissimum Augustini ingenium penitus si intrare velles, aliis ejus libris omnibus jure studeres. Etenim Hipponensis episcopus inter omnes christianos scriptores unus « hanc figuram mundi quæ præterit » justa et congrua superbia contemnit atque soli Deo se dicat. « Unus Deus tu, inquit, tu veni mihi in auxi-
« lium, una æterna vera substantia, ubi nulla discrepantia,
« nulla confusio, nulla indigentia, nulla mors... Fac
« me, Pater, quærere te, vindica me ab errore ; quærenti
« te mihi nihil aliud pro te occurrat. Si nihil aliud desi-
« dero quam te, inveniam te jam quæso, Pater (1). »

Nos quidem optata Augustino contigisse nunc scimus : Deum enim ille piissimus Doctor invenit ; Deum viventem, sidera hominesque creantem, omnes res humanas regentem mente percepit discipulosque docuit. Nonne in Augustini tota opera conferre possimus id, quod Psalmista de stellis et de lumine solis dixit ? nonne opera Augustini, gloriam Dei narrant ?

Ne vero ea omnia, quæ jam diximus de Augustino propenso in narrationes frequenter adhibendas, incerta videantur aut falsa, aut immoderata, ipse nunc audiendus est. Sæpe enim et dilucide ea, quæ de narratione sentiebat, expressit. Primum censebat « orationem omni-
« bus generibus dictionum variandam esse ab Eccle-
« siæ ministris, qui de doctrina christiana, coram po-
« pulo, disserunt. Namque quando prolixa est in uno

(1) *Soliloquia*, lib. I, c. i et ii.

« genere dictio, minus detinet auditorem (1). » Augustinus autem, omnes ambages mittens, suam sententiam iterum explicavit et ipsam narrationem in controversiam adduxit. « Quidquid, ait, de ordine temporum transac-
« torum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimum nos
« adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præ-
« ter Ecclesiam puerili eruditione discatur... » (2). At si cum his verbis quædam alia verba ex alio opere excerpta conferamus, Augustinum narrationem maximi momenti fecisse perspicuum erit. « Quapropter non arduum est
« negotium ea, quæ credenda insinuantur, præcipere unde
« et quousque narranda sint ; nec quomodo sit varianda
« narratio, ut aliquando brevior, aliquando longior, sem-
« per tamen plena atque perfecta sit ; et quando breviore,
« et quando longiore sit utendum ; sed quibus modis fa-
« ciendum sit, ut gaudens quisque catechizet (tanto
« enim suavior erit quanto magis id potuerit), ea cura
« maxima est. Et præceptum quidem rei hujus in promptu
« est. Si enim in pecunia corporali, quanto magis in spi-
« ritali hilarem datorem diligit Deus ? Sed hæc hilaritas
« ad horam ut adsit, ejus est misericordiæ, qui ista præce-
« pit (3). » Hoc quidem enodatius dici non potest.

Itaque Augustinus, dum narrationes suis sermonibus miscebat, haud fortuitum consilium capiebat, nec duo genera dicendi cum theologia permixte implicabat. At suorum magistrorum, scilicet Vergilii, Ciceronis et Platonis memor, et se ad narrationem propensum esse atque ad christianam religionem quasi pulcherrimam historiarum seriem evolvendam aptissimum sibi conscius, propriæ naturæ narrationis legibusque studuit. Quæ consecutus fuerit omnibus perspicuum est. Augustino enim nihil an-

(1) *De Doctrina christiana*, lib. IV, caput XXII.

(2) *De Doctrina christiana*, liber II, caput XXVIII.

(3) *De catechiz. Rudibus*, pars I, 4.

tiquius erat quam ut populum christianum suaviter haberet, sacrisque in contionibus quam maxime mulceret, denique, ut ipse aiebat, ubique hilaritatem faceret. Atqui narrationes tum ad orationem ornandam, ac varietate distinguendam, tum ad auditorem delectandum valent.

Quin etiam, eas esse utilissimas, immoque necessarias noster Doctor pronuntiavit, postquam præcepta rhetorum multos per annos meditatus est et fabulas populo esse gratissimas expertus est. Atque non solum quanti narrationes faceret, aperte præ se tulit, sed etiam eas esse curandas discipulis demonstravit.

Hunc peritissimum et optimum Magistrum sequi atque ejus narrationibus quemdam, eumque egregium locum in litterarum historia, quantum fieri potest, tribuere mihi dulce est.

CAPUT SECUNDUM

Quibus in rebus narrationes versentur et quæ sit earum notio.

—

Operæ pretium est inprimis omnem verborum ambiguitatem devitare et diligenter statuere quid de narratione sentiendum sit. Verba enim, labentibus sæculis, immutari et varia immoque diversa significare et ad mores hominum quasi se accommodare neminem fallit.

Vox quidem *narratio* duo rerum genera apud Augustinum significat. Quotiescumque enim priorem sensum noster Doctor usurpabat, aliquid incertum et latissimum cogitabat. « Exordienda narratio est, inquit, et perdu-« cenda ita, ut singularum rerum atque gestorum, quæ nar-« ramus, causæ rationesque reddantur, quibus ea refera-« mus ad illum finem dilectionis, unde neque agentis ali-« quid neque loquentis oculus avertendus est (1).» Unum quoddam exemplum referam, quo lector non aegre mente comprehendat, qua ratione hujusmodi narrationes Augustinus composuerit. «Transit (orator) ad narrationem eorum « quæ credenda sunt. De qua requie significat Scriptura, « et non tacet, quod ab initio mundi ex quo fecit Deus « cælum et terram et omnia quæ in eis sunt, sex diebus

(1) *De catechizandis Rudibus*, pars I, 10.

« operatus est, et septimo die requievit. Poterat enim Om-
« nipotens et uno momento temporis omnia facere. Non
« autem laboraverat ut requiesceret, quando : *Dixit et*
« *facta sunt, mandavit et creata sunt* (Psalm. CXLVIII, 5) ;
« sed ut significaret, quia post sex ætates mundi hujus
« septima ætate tanquam septimo die requieturus est in
« sanctis suis ; quia ipsi in illo requiescent post omnia
« bona opera, in quibus ei servierunt, quæ ipse in illis
« operatur, qui vocat et præcipit et delicta præterita di-
« mittit, et justificat eum qui prius erat impius (1). »

Hinc facile intellegimus quantam vim vox narratio apud Augustinum nonnunquam habeat. Res enim gestas dilucide exponere, veluti historici scriptores aut oratores civiles causidicique solent, hoc sine dubio maxime necescessarium est, hoc Augustino consuetudini erat. Sed præterquam quod ejusmodi virtutes, quæ in fabulis occurrunt, Hipponensis episcopus non contemnit, quasdam alias condiciones suis discipulis dicit.

Narrationibus enim addendæ sunt difficillimæ explanationes, quæ ad philosophiam aut theologiam aut ad christianæ religionis historiam pertinent atque tantum doctissimis magistris et sacerdotibus committi possunt.

Itaque non raro accidit, ut orator narrando præpositus factum ipsum summatim explicet, immoque negligere videatur, et in arduis disputationibus immoretur. Quam orandi rationem adeo sanctus Augustinus non vitavit ut hæ falso dictæ narrationes in ejus *Sermonibus* innumeræ reperiantur. Reddere enim causam cur « lapsus hominis « et Angeli nihil Deo nocuerit aut quomodo duæ civitates sint ab initio generis humani aut quod sit diluvii et « arcæ sacramentum, » hoc, teste Augustino, narrationis speciem præbet. Ea autem, omnia quæ nostrum pecu-

(1) *De catechiz. Rudib.*, pars II, 28.

liare propositum non spectant, ne disputemus , et ad necessaria transeamus. Fateor, tamen, si spatium mihi nunc daretur, libenter inquirerem quanti hoc falso dictæ narrationis genus a litteratis viris sit faciendum. Etenim in locum cujusdam vocis aliam vocem supponere , id est , non rationem sed expositionem tum moralem , tum dogmaticam, tum philosophicam proferre satis esset. Quam expositionem cum ceteris expositionibus, quibus civiles oratores de jure aut de rebus publicis disputantes sæpissime utuntur, non immerito compares atque inde utilissima et fortasse gratissima haurire possis. Sed hujusmodi labor cum pendeat e dialecticorum scientia, controversia et theologia, atque multi sudoris sit, cum nostro proposito minime congruit ; eum igitur omittemus et his proprie vereque dictis narrationibus, quas huc et illuc sparsas invenimus, impensam operam dabimus.

Primum hæ narrationes, si tantum ad id quod est maximum maximeque necessarium, attendamus, ceteris narrationibus, quas omnes scriptores, scilicet philosophi, poetæ oratores composuerunt , simillimæ sunt.

Ipse enim noster Doctor sic loquitur. « Ecce, inquit, « unum dico, filii Juliani hereditatem suscepi. Quare ? « Quia sine filiis defunctus est. Bonifacii hereditatem suscipere nolui : non misericordia, sed timore. Navicula« riam nolui esse Ecclesiam Christi..... Quicumque vult « exheredato filio heredem facere Ecclesiam, quærat alte« rum qui suscipiat, non Augustinum ; immo, Deo propitio, « neminem inveniat. Quam laudabile factum sancti et ve« nerandi episcopi Aurelii Carthaginiensis, quomodo im« plevit omnibus qui sciunt, os laudibus Dei! Quidam, cum « filios non haberet, neque speraret, res suas omnes re« tento sibi usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, « et reddidit episcopus nec opinanti quæ ille donaverat. « In potestate habebat episcopus non reddere ; sed jure

« fori, non jure poli (1). » Hoc facto moveri animos, tum historicorum scriptorum, tum litteratorum virorum, qui sermonibus sancti Augustini alii alio consilio student, quis non putet ? Etenim quam familiariter clerici Christianique quarto aut quinto sæculo secum invicem viverent, quomodo Ecclesia non divitias compararet, sed res necessarias exciperet deindeque pauperrimis filiis opem ferret, qua tandem arte, austero sermoni gratissima narratio misceatur, hic Hipponensis episcopus palam facit.

Cceteræ narrationes eadem adjumenta doctrinæ aut historiæ præ se ferunt atque iisdem oratoriis virtutibus ornatæ sunt, et eæ sunt quæ gloriam sancti Augustini apud doctos augeant. Omnibus viribus incumbam, ut eas notas faciam et æquo animo judicem, donec ad hoc meum opus mentem appellam. Atque, ante omnia, quæ sit harum proprie dictarum narrationum summa species, hic, paucis verbis, non exponere non possum. Postea de arte, qua scriptæ sunt, et de omnibus, quæ nostro Doctori gloriæ vertere par est, fuse disseram.

Primum nostræ narrationes, propter hanc causam, quod in genere oratorio versantur, non aliquid prorsus separatum efficiunt, sed, veluti ceteræ orationis partes, ad propositum ab auctore quæsitum spectant. Quod si hoc propositum penitus notum habebimus, quæ sit narrationum notio, non ægre, ni fallor, perspiciemus. Atqui Augustinus de hac re sic enucleate dixit, ut ejus verba quasi excipere ac deinde in *Sermonum* quasdam partes, quantum recte fieri potest, transferre satis sit. « Scripturarum, « ait, figuræ rebus vere gestis inhærent. Ante omnia tamen, « fratres, hoc in nomine Domini et admonemus, et præci- « pimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturæ « narrantis quæ gesta sunt, prius illud, quod lectum est, « credatis sic gestum, quomodo lectum est ; ne, subtracto

(1) *Serm.* CCCLV, cap. III-IV.

« fundamento rei gestæ, quasi in aere quæratis ædifi-
« care (1). » Ut igitur ex integumento jucundum fructum pueri promunt ita christiani oratores, ubi narratione utuntur, e factis dogmaticam aut moralem sententiam exprimunt. Quod ut fiat, non solum hæc facta dilucide narrare, sed etiam oculis lectorum, quodam peculiari modo, subjicere necesse est. Atque ita jam apparet illa narrationum, quæ in sermonibus innumeris occurrunt, vera et summa notio, quam quærebamus et quam infra verbis amplioribus exponam. Scilicet Augustinus narrationes frequenter adhibebat eo consilio, ut disciplinæ christianæ præcepta in mentes audientium quam maxime immitteret. Eum quidem alia minora, quamvis haud spernenda, sibi proposuisse scio, sed nunc in universum dico.

Adumbrata illa narratione, quæ in *Sermonibus* Augustini invenitur, quibus in rebus versetur explicandum est. Narrationes in triplex genus rerum, scilicet in Scripturam sacram, in sanctorum martyrumque vitam aut mortem fere omnes cadunt. Primum natura, ut ita dicam, paratum erat, ut e Veteri Testamento aut e quattuor Evangeliis multa facta, divina arte narrata, in suos *Sermones* Augustinus transferret. Atqui ita res se habent. Quid igitur nostræ huic operæ accommodatius est, quam investigare quomodo et quantum sacræ Scripturæ verba noster orator mutaverit ? Nonnullas quidem narrationes invenias, quæ nequaquam immutatæ fuerint atque easdem et in sacra Scriptura et apud sanctum Augustinum se præbeant. Exempli gratia mihi liceat commemorare illud celeberrimum judicium Salomonis quod Augustinus ad verbum dixit, aut, ut id conjectura probabile est, ex ipso libro recitavit. « Tunc
« apparuerunt duæ mulieres meretrices regi Salomoni et
« steterunt in conspectu ejus et dixit mulier una : Ani-

(1) *Serm.* II, caput VI.

« madverte, domine, ego et mulier hæc habitabamus in « domo una (1). » Sed narrationes e sacra Scriptura sumptas plerumque Augustinus aut in breve cogit, aut contra dilatat, aut explanat, ita ut eis aliquid novum propriumque adjiciat. Omnes quidem meminerunt se legere in libro primo *Regum* illam celeberrimam historiam, quæ ad David et immanem Goliath pertinet, atque cunctos pueros, quos in scholis magistri rudimentis imbuunt, vehementer delectat ; eam, quæso, cum insequenti narratione conferant : « Golias unus fuit ex Allophylis, id « est ex alienigenis, qui bellum gerebant illo tem« pore adversus filios Israel. Eo autem tempore David « sanctus, cujus est hoc Psalterium, immo per quem mi« nistravit hoc Psalterium Spiritus sanctus, puer erat « pascens oves patris sui, tenera ætate, vixdum adules« centulus... Armatus est autem David ut, quoniam æ« tate et viribus impar erat, quasi armis par esset : sed « arma vetera non adjuvabant, potius onerabant novam « ætatem. Et ad hoc pertinet quod etiam apostolica lec« tio ante Psalmi canticum præsignavit, dicens : *Exuite « hominem veterem et induite novum* (Coloss., III, 9-10)... « Tulit David quinque lapides de torrente, de fluvio, et « posuit in vase pastoris, quo lac mulgeri solet, et ita « processit armatus. Quinque lapides, Lex erat ; con« tinetur enim Lex quinque libris Moysi (2). »

Minima tantum pars narrationis hic usurpatur ; nam si totum *Sermonem* referremus, prorsus manifestum esset quantum Augustinus a sacris scriptoribus discrepet. Eum vero ingentem et quasi incredibilem copiam narrationum sermonibus junxisse ante omnia notatione dignum mihi videtur ; quidquid enim in Scriptura sacra apologi aut historiæ quamdam similitudinem præbet, hoc Augustinus

(1) *Serm.* X, cap. I,
(2) *Serm.* XXXII, cap. III, IV, V.

imitatione consecutus est. In Genesi quidem, quæ in genere historico fere tota versatur, nullum fortasse reperias versiculum, quem sanctus Augustinus non explanaverit. Si igitur omnes narrationes, quæ ad libros canonicos spectant, e nostri Doctoris orationibus detraheres, quoddam doctissimum et utilissimum historiæ genus haberes. Hoc enim ingens historicum opus cui philosophia, theologia aliaque dicendi genera, sine ulla intermissione mixta sunt, a paradiso terrestri initium ducit et tempore Augustini concluditur. Denique eæ partes. Scripturæ sacræ quæ ab historia maxime abhorrent, in sermonibus Hipponensis episcopi aut paulum neglectæ aut etiam omissæ fuerunt.

Augustini autem in *Sermonibus*, non solum facta e Scripturis sacris sumpta, sed etiam sanctorum, martyrum omniumque Christianorum vita, gaudia, luctus et mors narrantur. Ne tamen eum, veluti Meldensis episcopus ceterique tum græci tum latini oratores solent, totam vitam cujusdam christiani martyris complecti existimemus. Etenim, cum factis theologica principia aut morales sententias anteponeret, iisdem factis quasi aptissima ad populum edocendum ratione utebatur atque ea ad arbitrium suum digerebat lectoribusque solute exponebat. Omnes quidem legerunt illa celeberrima *Acta Martyrum* in quibus mors Sanctæ Perpetuæ, Sanctæque Felicitatis narratur. Unus de multis — iisque peritis oratoribus — sanctarum martyrum cruciatus longos supremumque triumphum distribute verbis explanaret. At non ita Augustinus : in quædam minima et peculiaria et quasi portentosa iterum atque iterum redit et quædam alia maxima omittit. Quæ vero ante omnia diligere videatur, quibus in rebus libentissime immoretur, nemo scire potest, nisi diu multis *Sermonibus* studuerit. Noster enim Doctor, non circa martyrium ipsum, sed circa res quasdam tenues quæ ad martyrii historiam non spec-

tant, ambitus, ut ita dicam, facit. « Sed hoc, inquit, « illius potissimum laus est, in quem credentes et in cujus « nomine fideli studio concurrentes, secundum inte« riorem hominem, nec masculus nec femina inveniuntur; « ut etiam in his quæ sunt feminæ corpore, virtus men« tis sexum carnis abscondat et in membris pigeat co« gitare, quod in factis non potuit apparere. Calcatus est « ergo draco pede casto et victore vestigio, cum erectæ « demonstrarentur scalæ, per quas beata Perpetua iret ad « Deum. Ita caput serpentis antiqui, quod fuit præci« pitium feminæ cadenti, gradus factum est ascen« denti (1). » Hic certo lector, si narrationem Augustini animo assequi cupit, ut meminerit duorum factorum in *Actis Martyrum* commemoratorum, necesse est. Primo, sancta Perpetua, quam hic laudat Augustinus, « de se ipsa « revelatum esse dixit virum se factam certasse cum dia« bolo, deindeque somnium vidit in quo caput horridi « draconis calcavit, ut ad cælum victrix perveniret. » Hipponensis episcopus ita orationem suam disponit ordine, ut totius martyrii quasi oblitus, nonnisi hæc duo minima facta intueri videatur. Quin etiam, dum coram populo alias orationes habet, ad eamdem rem sponte redit et, sine ulla intermissione, de feminis et de feminæ virtute loquitur. Quæ quidem longum et dilucide explicanda esse arbitror, eo consilio, ut appareat quibus in rebus narrationum quoddam genus proprie versetur. Quotiescumque igitur ab Augustino sanctorum vitam aut mortem narrari dicemus, omnem verborum errorem caute vitabimus. Noster enim orator de paucis quibusdam pecutiaribus factis disserit, nedum totam vitam aut totam mortem sanctorum exponat.

Denique diversa Augustinus narravit, quæ, licet omnia ad mores christianos et ad Ecclesiæ historiam pertineant,

(1) *Serm.*, CCLXXX, cap. I.

magno negotio in breve cogerem atque oratione exprimerem. Quam vero variæ sint res ab eo scriptis mandatæ, quæ sit earum natura, una profecto demonstrandi, via mihi datur, scilicet ut afferam nonnulla exempla quæ maxime conspicua esse mihi videntur. Inprimis haud mirandum est Augustinum, cum, quadam die, coram populo christiano beatæ Agnetis historiam narraret, Herculem et Cacum subito protulisse. « Contra « unam aniculam fidelem christianam quid valet Juno? « Contra unum infirmum et trementem omnibus mem- « bris senem christianum quid valet Hercules? Vicit Ca- « cum, vicit Hercules leonem, vicit Hercules canem Cer- « berum : vicit Fructuosus totum mundum. Compara « virum viro. Agnes, puella tredecim annorum, vicit « diabolum. Eum puella ista vicit, qui de Hercule multos « decepit (1). » Trojæ etiam et Trojanis victis Augustinus magnam partem sermonis dicat atque, velut Sallustius, commemorat « illam urbem Romam quam habuere initio « Trojani, qui, Ænea duce, profugi, sedibus incertis vaga- « bantur (2). » Deinde ante oculos nostros versatur quædam historia ad formandos audientium mores aptissima, quam recentes theologici scriptores *casum conscientiæ* fortasse nomine nuncuparent. «Exemplum eximium de restituenda « re aliena. Dicam vestræ Charitati quoniam dona Dei sunt; « et sunt in populo Dei qui non frustra audiunt verbum « Dei: dicam quod fecerit pauperrimus homo, nobis apud « Mediolanum constitutis ; tam pauper ut proscholus es- « set grammatici ; sed plane christianus, quamvis ille « esset paganus grammaticus ; melior ad velum quam in « cathedra. Invenit sacculum, nisi forte me numerus fal- « lit, cum solidis ferme ducentis : memor legis propo- « suit pittacium publice : Qui solidos perdidit, veniat ad

(1) *Serm.* CCLXXIII, cap. VI.

(2) *Serm.* LXXXI, 9.

« locum illum et quærat hominem illum. Ille, qui plangens « circumquaque vagabatur, invento et lecto pittacio, venit « ad hominem. Et ne forte quæreret alienum, quæsivit « signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solido- « rum etiam numerum. Et cum omnia ille fideliter respon- « disset, reddidit quod invenerat. Ille autem, repletus gau- « dio et quærens vicem rependere, tanquam decimas, « obtulit illi solidos viginti : qui noluit accipere. Obtulit « vel decem : noluit accipere. Saltem rogavit vel quinque « acciperet : noluit ille. Stomachabundus homo projecit « sacculum : Nihil perdidi, ait ; si non vis aliquid a me « accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fra- « tres mei, quale certamen ? Victus tandem ille quod « offerebatur accepit : continuo totum pauperibus ero- « gavit, unum solidum in domo sua non dimisit (1). »

Ille, qui Hipponensis episcopi *Sermones* perlegit, non raro incidit in ardentissimam aut doctissimam disputationem, cui historiæ romanæ quædam facta includuntur. « Ergo isti dii vocantur Romani. Et quando Chris- « tiani cogebantur, fremente impetu Paganorum, ut eos « adorarent, et recusantes, eorum sævitiam usque ad « effusionem sanguinis sustinebant ; ea videbatur tota « culpa martyrum, quorum fundebatur sanguis, quia « deos Romanos adorare nolebant, quia ceremonias erga « deos Romanos respuebant, quia Romanis diis non sup- « plicabant ; et totus impetus, tota invidia non fiebat, nisi « de nomine deorum Romanorum. Si ergo dii Romani Ro- « mæ defecerunt, hic quare remanserunt ? Si ambulare « possent, dicerent quia huc inde fugerunt (2) ». Nonne etiam in narrationibus jure ponere possemus ea omnia, quæ pius noster Episcopus de virginum sacrarum amore,

(1) *Serm.* CLXXVIII, cap. VII.

(2) *Serm.* XXIV, 6.

non aliter ac tragicus poeta exprimit ? Ut viator, qui per austeras regiones longum iter fecit, in gratissimam et viridem vallem, summo cum gaudio, pervenit, ita lector, qui in paulum severas *Sermonum* disputationes diu incubuit, hujusmodi narrationes lætus reperit : « His ornamentis studentes Dei puellæ, sanctæ virgines, nec « quod licebat appetierunt, nec quod cogebantur consenserunt. — Multæ enim parentum suorum contrarios conatus igne superni amoris superaverunt. Iratus est pater, ploravit mater : non curavit illa, cui ante « oculos versabatur speciosus forma præ filiis hominum. Ei quippe se ornari desideravit, ut tota ejus curam gereret. Videte quid sit amare (1) ». Sæpius etiam Augustinus, quem heretici et multi homines, qui erant Ecclesiæ inimicissimi, de clericorum moribus, prælio lacessebant, res ab his gestas, velut historicus scriptor, coram omnibus persequebatur : in *Sermonibus*, diaconorum duodecim, sacerdotum et episcoporum vitam narratam invenias. Noster quidem pius Doctor de omnibus et maxime diversis rebus, quæ ad clericos spectant, ubi necesse est, disserit neque tantulum præterit : « Severus « diaconus cæcus. Diaconus Severus sub qua Dei disciplina et flagello sit, nostis ; lumen tantum non perdidit « mentis. Unam domum hic emerat propter matrem et « sororem suam, quas de sua patria huc desiderabat « adducere. Emerat autem, non sua pecunia, quam non « habebat; sed ex collatione religiosorum virorum, quos « mihi quærenti etiam nominans indicavit. De ipsa non « possum dicere quid fecerit, aut quid disponat, nisi « quia totum et ipse in mea posuit voluntate, ut quidquid « ipse vellem, hoc inde fieret. Sed habet quasdam causas cum matre sua, quarum causarum me judicem posuit; ut cum illæ causæ fuerint terminatæ, fiat de ipsa

(1) *Serm.* CLXI, caput XII.

« domo quod ego voluero. Quid autem velle potero, Deo « regente, nisi quod justitia jubet, et pietas postulat? Ha- « bet etiam in patria sua aliquos agellos : disponit eos « sic distribuere, ut etiam illic in illo loco positæ pau- « peri largiatur Ecclesiæ (1) ». Denique ipse aliquando in scenam prodiens Augustinus, sua propria delicta aliasque diversas res a se ipso gestas aut narrat, aut humili animo breviter designat.

Hinc jam mente complectimur quibus in rebus fere omnes Augustini narrationes versentur : triplex quidem genus rerum gestarum, ratione scriptorum historicorum, exponit. In quosdam tamen certos numeros reponere omnes narrationes non solum falsum, sed etiam vitiosum atque prorsus ineptum esse fateor ; quod ut manifestum sit, sequens Evangelium ab Augustino explanatum commemorabo : « Meministis, fratres mei, evangelicæ illius « lectionis, ubi duæ sorores Dominum susceperunt, « Maria et Martha. Certe recolitis : Martha in multo mi- « nisterio conversabatur et occupata erat circa curam « domus ; quippe Dominum hospitio receperat et disci- « pulos ejus. Satagebat omni cura religiosissima, ne sancti « apud eam ullam paterentur injuriam. Cum ergo esset « occupata circa multum ministerium, Maria soror ejus « sedebat ad pedes Domini, et Verbum ejus audiebat. Illa « in labore stomachabunda quod illam videret sedentem, « interpellavit Dominum. Et Dominus : Maria meliorem « elegit partem, quæ non auferetur ab ea. Non auferetur : « contemplari elegit, Verbo vivere elegit. Qualis erit « vita de Verbo sine Verbo? Modo ista vivebat de Verbo... « Ipsum Verbum vita est. Similes ei erimus, quoniam « videbimus eum sicuti est. Ipsa erat, una ut contempla- « retur delectationem Domini. (2) »

(1) *Serm.* CCCLVI, 5.

(2) *Serm.* CLXIX. caput XIV.

Hic, ut omnes lectores, facillime perspicere possunt, altissimis maximeque reconditis cogitationibus atque piis sententiis suam narrationem Sanctus Augustinus distinguit. At contra, non aliter ac dulcissimus avus filiorum suorum animum gratissimis fabulis permulcet, ille pius Episcopus populo suo puerilia et inania nonnunquam narrat : « Fac alium, putat falsum esse, et jurat tan-« quam verum sit, et forte verum est. Verbi gratia, ut in-« telligatis : Pluit-in illo loco ? interrogas hominem ; et « putat non pluisse, et ad negotium ipsius competit, ut « dicat : Pluit ; sed putat non pluisse... perjurus est (1). » Itaque, in sancti Augustini *Sermonibus* species narrationum ita sunt diversæ et multiformes, ut eas in quædam certa genera cogere non possis.

Sed aliquis fortasse percontabitur quot sint narrationes et quantum momentum pro portione omnium *Sermonum* habeant. Omnium quidem rerum rationem quasi minutam quamvis haud subduxerim, narrationes tamen centenas saltem esse compertum affero. Addendum est quod et gratissimæ sunt et totam orationem complent perficiuntque, atque lectorem a doctissimis arduisque disputationibus reficiunt. Alii tamen *Sermones* omni narratione carent, alii vero multis et quasi perpetuis narrationibus constant (2). Si igitur summam narrationum cum summa sermonum conferas, ac deinde separatim perpendas, aliquid magnum, mirandum, et quod in litterarum historia fieri solet rursum efficies. Etenim in maximis et præclarissimis libris, non raro quædam eximiæ partes mentem lectoris acriter movent eique totius operis esse quasi propriæ notæ videntur. Ita quidem in antiqua Græcorum comœdia parabasis in historicis operibus Thucydidis, Livii, aliorum virorum domi ac militiæ principum orationes, in illis

(1) *Serm.* CLXXX, caput ii.

(2) *Serm.* CCCLVI. — *Serm.* CCXCI.

Georgicis Vergilii carminibus quædam narrationes litteratorum hominum animos in se præcipue convertunt. Quibus exemplis sane monstratur quid de narrationibus, quæ sunt in Sancti Augustini *Sermonibus*, sentiendum sit.

CAPUT TERTIUM

Qua arte Augustini narrationes conscriptæ sint.

—

Primum mihi liceat petere ut litterati viri, qui meum hoc opusculum legent, quadam animi consuetudine se expediant atque multa e sua memoria abjiciant. Quamvis enim inter se diversæ sint omnes narrationes, quæ apud oratores aut historicos scriptores inveniuntur, ad eamdem artem revocari possunt et quasi eamdem communem notam habent. Augustinus contra, dum facta refert, cum ceteris tum Græcis tum Latinis narratoribus maximam dissimilitudinem præbet, immo de præceptis rhetorum minime laborat. Par est nos cavere a solita comparandi ratione et properatim judicium non facere atque opera Augustini libero animo ponderare. Itaque, quamvis narrationes quæ, sunt in *Sermonibus*, longe alias esse ac quasdam Tullii eximias narrationes censeas, ne, quæso, Hipponensem episcopum propere condemnes. Etenim multas variasque esse « pulchritudinis formas (1) » et species, in quibuslibet dicendi generibus, omnes consentiunt. Quam ob causam, hoc capite, de arte qua Augustini narrationes conscriptæ sunt, sine ulla comparatione disseram ; illud unum curabo, ut Africanorum auditorum bonas aut malas cupidines scientiamque et Au-

1) *Orator*, caput 1.

gustini orantis consilia, omnia tandem quæ, ad narrationem pertinent, mente comprehendam, et deinde verbis explanem.

Narrationes in omnibus *Sermonum* partibus inveniuntur, nedum certum locum teneant; quod magni momenti esse arbitror. Age, sint dicta inania a rhetoribus de paucis orationis partibus, in quibus narrationes reponendæ sint; Crassus tamen, Antonius, Tullius in suas contiones non temere includunt narrationes, sed summa diligentia eas in optimum locum quasi inducunt.

Augustinus autem, qui illam totius operis jucundam consensionem Latinis præsertimque Græcis acceptissimam negligit aut spernit, nullam cautionem adhibens, narrationes tum brevissimas tum amplissimas fortuito incipit. Etenim, dum populum doctrinam christianam docet, a narratione sæpissime initium facit neque audientes de suo proposito monet (1). At contra, in medio sermone, aut in conclusione, occurris nonnunquam narrationi, nec facile perspicis cur ab Augustino oratio ita instructa sit (2). Quin etiam, Augustinus, postquam narrationem quamdam aggressus est, ipsius rei aliquando obliviscitur, theologicis philosophicisque disputationibus indulget et postremo, pristini sui consilii reminiscens, eamdem narrationem perficit. « Impositus craticulæ (Lau-
« rentius), omnibus membris adustus est, pœnis atrocissi-
« mis flammarum excruciatus est : vincens tamen omnes
« corporis molestias magno robore charitatis, adjuvante
« illo qui talem fecerat. Ipsius enim sumus figmentum,
« creati in Christo Jesu, in operibus bonis quæ præparavit
« Deus, ut in illis ambulemus (3). »

In sermonibus sunt narrationes adeo breves, ut res ges-

(1) *Serm.* X, 1.

(2) *Serm.* CXXII, caput vi.

(3) *Serm.* CCCII, caput ix.

tas non exponant, sed vix indicent aut, ut ipse noster Doctor aiebat, charitati Christianorum insinuent (1). Quædam vero aliæ narrationes amplissimæ sunt atque vastissimæ, et non solum totum unum sermonem, sed etiam duos aut tres sermones complectuntur (2). Ita quidem, ut martyrium celeberrimum sancti Laurentii narraret, Augustinus quattuor sermones pronuntiavit (3).

Hinc jam quæ sit narrationum quasi prima peculiaris nota, manifestum est. Etenim, cum apud omnes Græcos Latinosque scriptores omnes operis partes inter se cum quodam lepore consentiant, ipsa narratio cum tota oratione congruit, perinde ac columnæ validissimæ simul et pulcherrimæ templum quoddam sustinent atque ornant.

Augustinus vero ea omnia, quæ ornamento tantum sunt *Sermonibus* aut negligit, aut saltem negligere sæpissime videtur : eum quidem, erudiendorum Christianorum et ad veritatem amoremque divinum gradatim ducendorum cupidum, irridere gloriæ humanæ doctisque laudibus credas. Narrationes igitur, tum breves tum amplas in, quaslibet *Sermonum* partes et qualibet ratione includit, immo eas nonnunquam intermittit, aut in angustum adducit, aut longius producit ; quæ omnia discipulus Aristotelis, aut Tullii aut Quintiliani, sine dubio, vituperaret.

At Augustinus, qui in diversas orationis partes narrationes incomposite distribuit, ipsam narrationem struendo multa præcepta rhetorum contemuit. Contra enim atque fieri solet, verum naturalemque ordinem rerum non conservat, sed aliquid quasi quassatum plerumque componit. Quale sit hoc narrandi genus et quas ob causas a nostro Doctore electum fuerit, sine mora mente comprehendere possumus. Augustino enim in animo erat non ut docto-

(1) *Serm.* LXXXII, caput I.

(2) *Serm.* CCCXXXII-CCCXXXVI, CCCLVI.

(3) *Serm.* CCCII-CCCV.

rum auditorum teretibus auribus blandiretur, sed ut plebem paulum juvaret, præsertimque doctrinam christianam doceret et ad piissimum vitæ genus duceret. Quadam enim die, ut exemplum afferam, in Carthaginiensi Ecclesia, postquam Cæcilianum presbyterum innocentem damnatum fuisse commemoravit, subito disputationem theologicam adversus Donatistas aggressus est, deindeque, tranquillo animo et quieto, suam narrationem perfecit. « Sed damnatus est, inquiunt, Cæcilianus. Dam-
« natus? A quibus? Primo absens, deinde a Traditoribus
« innocens. Allegata sunt ista, Gestis inserta, probata
« sunt. Enervare quidem veritatis vires conati sunt et ina-
« nium nebulis prosecutionum ejus serenitatem nebulare,
« quantum potuerunt, enisi sunt. Adfuit Dominus, vicit
« serenitas ejus nebulas eorum. Et videte quomodo nes-
« cientes absolverunt Ecclesiam orbis terrarum, cujus
« communione gaudemus, qualescumque in ea simus. Non
« ipsos nos, sed ipsam tuemur, defendimus, obtinemus,
« aream dominicam defendendo, pro area dominica clamo.
« Tu quis in ea sim, nolo cures : ventilabrum exs-
« pecto....... Damnatus est, inquiunt Cæcilianus. Dam-
« natus est semel absens, ter absolutus est præsens (1). »
Nunc, si illam celeberrimam fabulam, quam Demosthenes olim oscitantibus Atheniensibus retulit, memoria repetamus, summa admiratione Augustinus nos procul dubio afficiet. Etenim Demosthenes, qui gravissimam disputationem interrumpit, et coram civibus puerilia inaniaque narrat, efficit ut res civitatis vano immoque pravo fabulæ cognoscendæ studio subjiciantur. Augustinus contra, modum delectandi populi facit et quamvis auditoribus, narrando facta, libentissime blandiatur, ante omnia tamen de rebus Ecclesiæ et de regenda civitate christiana cogitat.

(1) *Serm.* CLXIV, caput VIII.

Alia nota in narrationibus Hipponensis episcopi indicanda est. Omnes enim scriptores oratoresque eisdem sententiarum conformationibus de more adeo utuntur, ut a litteratis viris quam primum ita agnoscantur. Augustinus, non aliter ac multitudo suorum æqualium, paria paribus reddit, arguta disserit, litterarum mutationem adhibet et frequenter ingenio eludit ; quod nullus ex eruditis viris qui nunc sunt ignorat. At quanta in hoc animi habitu sint momenta ad struendas narrationes animadvertere magni refert. Augustinus enim, tum sciens prudensque, tum contra invitus ac reluctans, facta multa elegit aut in quasdam narrationis partes incubuit, ut locum ingenio eludendi sæpissime nancisceretur. Ad insequentem narrationem lector, quæso, paulisper animum attendat : « Hæc « est prima martyrum causa, hæc est Candida martyrum « Massa. Si causa candida, et Massa candida. Massa enim « dicta est, de numeri multitudine, Candida de causæ « fulgore. Tam multi comites non timuerunt latrones. « Sed etiam si singuli ambularent, muniti essent adversus « latrocinium ; quia ipsa via fuerat munimentum (1). »

Denique illa dulcissima et rarissima animi mollitudo, qua Augustinus præditus erat, rebus omnibus suaviter narrandis ei maximo adjumento fuit. Qua virtute, dulci Vergilio et Tito Livio similis fuit, immo si id, quod sentio, plane dicere liceat, fortasse præstitit. Præcepta enim Christi homines multo leniores reddiderunt et ad pauperes colendos summoque amore diligendos adduxerunt. Vergilio quidem, qui res mortales aut dulces vitulorum animas, aut morientes aves sublimi misericordia commemorat, Augustinum cum plebe flentem anteponere audeo : « Denique cum apud Cæsarem Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius « plus quam civilem, quam *Catervam* vocabant ; neque

(1) *Serm.* CCCVI, caput II.

« enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres,
« postremo parentes ac filii lapidibus inter se, in duas
« partes divisi, per aliquot dies continuos, certo tempore
« anni, solemniter dimicabant, et quisque, ut quemque
« poterat, occidebat ; egi quidem granditer, quantum
« valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cor-
« dibus atque moribus eorum avellerem, pelleremque
« dicendo; non tamen aliquid me egisse putavi, cum eos
« audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Accla-
« mationibus quippe se doceri et delectari, flecti autem
« lacrymis indicabant. Quas ubi aspexi, illam immanem
« consuetudinem a patribus et avis longeque a majori-
« bus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat,
« vel potius possidebat, devictam, antequam reipsa id
« ostenderent, credidi (1). »

Quam animi mollitudinem in existimandis Augustini narrationibus, pro nihilo putare nobis haud liberum est. Quidam enim historici scriptores, Thucydides aut Sallustius aut Cæsar, eo præcipuo et quasi uno consilio suum opus aggrediuntur ut, summatim dicendo, lectorum oculis res omnes, perfecta arte, subjiciant. Alii vero, veluti quidam recentissimi fabulatores (2), misericordiæ commovendæ toto animo se dedunt atque artem quasi contemnentes quoddam peculiare genus perturbationis captant. Hos inter noster Augustinus dignus est sane qui principem locum obtineat.

Itaque ex iis, quæ supra dicta sunt, quales sint sancti Augustini narrationes, conjectura jam prospicimus. Etenim, cum fere omnia rhetorum præcepta aut contemnat aut saltem negligat, et litterarum mutationes frequenter ha-

(1) *De Doctrina christiana,* lib. IV, caput XXIV.

(2) Tolstoï, Dickens, Loti, etc.

beat, et ad auditores maxima eximiaque animi mollitudine flectendos idoneus sit, quoddam certum genus narrationis assumere cogitur. Id tamen planius oratione exprimere fortasse nobis dabitur.

Primum Augustinus paria paribus jungit et, quadam ex necessitate, semper utitur illa figurata locutione, quod Græci antitheton vocant. Ex quo illud natura consequitur, ut in ejus *Sermonibus* non solum verba verbis, sed etiam sententiæ sententiis, imagines imaginibus adversentur. En, ut exemplo utar, quasi in nostris manibus, effigies hominum, qui impudicis mulieribus obediendo in turpissimam et pessimam servitutem sese abduxerunt. Atque hic notandum est illud antitheton, de quo jam diximus, toties usurpatum fuisse, quoties nostri Doctoris sententia, licet brevissima, perfecta fuit. « Lubricos et inhonestos amores « attendite ; si quis amore feminæ lascivus et nequam « vestit se aliter quam illi placet, vestit se aliter quam ama- « tæ suæ placet. Illa dixerit : Nolo habeas talem byrrhum; « non habet : si per hiemem illi dicat : In lacerna te amo ; « eligit tremere quam displicere. Numquid illa cui dis- « plicet, damnatura est ? Numquid in carcerem mis- « sura ? numquid tortores adhibitura ? Hoc solum ibi ti- « metur : Non te videbo ; hoc solum ibi contremiscitur : « Faciem meam non videbis. Si hoc impudica dicit, et « terret ; Deus dicit et non terret (1) ? » Quo tamen haud contentus Augustinus incipit extemplo narrationem aliam quam superiori narrationi opponit ; scilicet Virginum sacrarum amorem puro et quasi angelico ardore effingit (2).

Hanc consuetudinem omnium rerum opponendarum

(1) *Serm.* CLXI, cap. x.

(2) *Serm.* CLXI, caput xi-xii.

litteratus vir fortasse Hipponensi episcopo crimini non immerito daret ; rei tamen quædam defensio facilis est. Augustinus enim assidue legebat atque imitabatur scriptores sacros qui, sine ulla intermissione, contraria contrariis adjuncta reserunt, sive cum carminibus aliquid commemorant, sive cum philosophiam aut theologiam interpretando explanant (1). Quin etiam demonstrarem Augustinum philosophia, theologia, controversiis impulsum fuisse, ut antitheton in sententias aut in ipsa verba includeret, ni timerem ne a litteris discederem et in dogmaticam theologiam incurrerem. Attamen breviter notandum est nostrum Doctorem per totam fere vitam , aut Manichæorum doctrinæ assensum fuisse , aut adversus eam fortiter pugnasse, et de vera Religione , de civitate Dei, de gratia divina duas inter se luctantes sententias exposuisse.

Hoc autem multarum narrationum proprium esse mihi videtur, ut maximam similitudinem referant earum fabularum, quæ ad scenam componuntur. Atque id, quod est in tragœdiis optimum, duplici modo narrationes sancti Augustini effingunt. Primum quidem populus Christianus tanquam adjutorem sui dilectissimi episcopi se gerebat et cum eo, veluti chorus antiquus, sermocinabatur. Augustinus enim, non aliter ac Joannes atque ipse Christus, « ad dilectionem omnia referebat » atque ad eam quasi ad caput et columen totius Christianæ orationis revocabat. Namque si duo oratores se præbuissent, unus quidem dicendi minime peritus, doctrinæ tamen Christianæ non expers, alter vero disertus, doctissimus et gloriæ cupidus, nostro Doctori nulla dubitatio fuisset. Atqui populus, qui

(1) Lowth , *De Poesi sacra Hebraeorum* ; Herder , *Esprit de la Poésie hébraïque* ; Réville , *les Psaumes* ; l'abbé Vigouroux, *Manuel biblique* ; E. Renan, *Histoire générale des langues sémitiques, Études d'histoire religieuse, Histoire d'Israël.*

nonnunquam suos optimos amicos cognoscit, summo ardore Augustinum diligebat. Incredibile est igitur quam familiariter Hipponensis episcopus cum plebe viveret. Res enim sacras cum vulgaribus servilibusque operibus conferre, audientium interpellationes tolerare aut movere, « quod valde putre est » exponere, contra pravas religiones repugnare, lacrimas effundere, hoc Augustino consuetudini erat. Omnem etiam apparatum et nimiam urbanitatem adeo vitabat, ut in colloquiis sublimibus populum sic compellaret :

« Quia Filius animam suam sibi reddidit, quid a nobis « exspectatis ? Ipse dicat : *Potestatem habeo ponendi ani-* « *mam meam*. Nondum dixi quod promisi. *Ponendi* dixi, « sed jam clamatis quia prævolatis. Eruditi quippe in « schola Magistri cœlestis, tanquam lectiones intente « audientes, pie reddentes, quid sequatur non ignoratis. « *Potestatem*, inquit, habeo ponendi animam meam et « potestatem habeo iterum sumendi eam (1). »

Hic manifestum est Christi resurrectionem et ab oratore simul et a Christiano populo narratam fuisse, quæ disserendi ratio nonnisi apud tragicos comicosque poetas et in colloquiis Platonis aliorumque reperitur. Alia autem die, Augustinus verbis explanabat quamdam narrationem ex *Actibus Apostolorum* sumptam; perinde ac dulcissimus magister suum discipulum docens, paulum interrupta lectione, de verborum significatione monet. « Cum lectio « legeretur de libro qui inscribitur *Actus Apostolorum*, ani- « madvertistis quid contigerit eis qui cum villam vendi- « dissent, subtraxerunt de pretio villæ et ante pedes « Apostolorum, quasi totum pretium posuerunt. Continuo « correpti exspiraverunt ambo, vir et uxor ejus. Nonnullis « videtur nimis severa ista fuisse correptio... (2). »

(1) *Serm.* LII, 13.— Legendus est etiam *Serm.* CCCIII. cap. iii.

(2) *Serm.* CXLVIII, caput i.

Quædam etiam certa verba, quæ apud Augustinum sæpissime occurrunt et *Sermones* colloquiis simillimos efficiunt, hic proferenda esse arbitror : « Hoc tantum attendat « Charitas vestra... Audi ergo me Domne pauper : cum enim « illum sanctum ulcerosum te esse dicis, timeo ne superbiendo non sis quod dicis... (1) Probemus singula, « judices auditis, causa proposita est, testes procedant. « Dicat mihi judicium vestrum, quod solet causas agen« tibus dici : Doce quod promittis. Doceo plane adjuvante « Domino et cœlestis juris recito lectionem. Intente au« distis proponentem, audite intentius jam proban« tem (2). » Præterea, Augustinus non solum colloquiis sæpissime usus est, sed etiam se ea magni facere et ceteris narrationis partibus anteponere non ambigue professus est : « Quas voces, inquit, ille Martyr audierit, quas red« diderit, quæ tormenta devicerit decursa lectio declara« vit et nobis tanquam in conspectu, quæ gesta sunt, « posuit (3). »

Ubicumque germana narratio non adumbratur, patet Sanctum Augustinum auditoribus familiariter uti et jam cognita breviter commemorare eo consilio, ut ea, quæ Christiani sentiunt, conjectura auguretur et, si necesse sit, refellat : « Exhortationes earum martyrum, in divinis « revelationibus, triumphosque passionum, cum lege« rentur, audivimus, eaque omnia verborum digesta et « illustrata luminibus, aure percepimus, mente specta« vimus, religione honoravimus, charitate laudavimus (4). » Orator igitur et Christiamus populus semper inter se col-

(1) *Serm.* XIV, caput III.

(2) *Serm.* LII, caput IV.

(3) *Serm.* CCLXXV, 1. *In natali martyris Vincentii.*

(4) *Serm.* CCLXXX, caput I.

loquuntur, aut saltem quamdam narrationis formam colloquio simillimam adhibent.

Quod vero attinet, non ad actores, sed ad ipsius fabulæ leges, hoc Augustinus ex parte negligit, ex parte autem diligentissime curat. Ita quidem de doctissima et quasi perfecta imitatione minime cogitans, personas a personis nunquam sejungit. Ad patriarchas, prophetas, sacerdotes, martyres, virgines innumerosque sanctos de quibus in *Sermonibus* agitur, animum attende, atque illam celeberrimam legem, quam tulit Horatius (1), ab Augustino continuo perrumpi certior fies. Omnes enim personæ eodem modo loquuntur, id est, tanquam subtiles philosophi, de rebus theologicis aut de moribus disserunt, aliquandoque, non aliter ac ipse Augustinus, gratissima miserabiliave narrant. Attamen bonos a malis discernere noster Doctor nonnunquam conatur. Tum vero, fateor, similis istis auctoribus tragœdiarum incompositarum quæ plebem rusticam prorsusque incultam delectant, personas suas incallide notat, nedum earum mores doctissima arte effingat : « Videamus ergo. Adductus est ad Ananiam « (Saulus), et Ananias interpretatur ovis. Ecce lupus rapax « adducitur ad ovem sequendam, non rapiendam. Sed ne « repentinum ovis expavesceret lupum, ipse pastor de « cœlo, qui hæc omnia faciebat, nuntiavit ovi lupum venturum, sed non sæviturum. Et tamen tam immanis fama « lupum illum præcesserat, ut non posset ovis audito « ejus nomine non conturbari. Nam cum Dominus Jesus « eidem Ananiæ nuntiaret Paulum jam venisse ut cre- « deret et ad eum Ananiam ire debere, ait Ananias : Do- « mine, audivi de isto homine, quia multa mala ope-

(1) Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur an audax
Pythias, emu ncto lucrata Simone talentum.

« ratus est in sanctos tuos ; et nunc litteras accepit a « principibus sacerdotum , ut ubicumque invenerit tui « nominis sectatores, pertrahat.... Mira et magna res « geritur. Lupo sævitia interdicitur, lupus ad ovem cap-« tivus adducitur (1). » Ubi artem Sancti Augustini non omnino mancam , sed paulum inchoatam et rudem esse certum est.

At contra, factum ipsum callide exponit, servandarum quidem memor legum, quas ipse protulit in quarto de *Doctrina christiana* libro et in illo opere, cui *de catechizandis Rudibus* nomen inscribitur. Namque haud sine pura quadam voluptate legimus illud eximium exemplum de restituenda re aliena , quod jam attulimus (2). Qua in narratione multæ sunt ex iis summis laudibus quas litterati viri peritissimis scriptoribus gloriæ vertunt. Augustinus enim, quanquam breviter omnia narrat, nihil tamen omittit et rem gestam oculis nostris ita subjicit, ut ipsius pauperrimi, sed eximia probitate præditi, proscholi verba quasi audiamus. Atque propterea quod præclarissimus e gallicis fabularum auctoribus (3) nostrum piissimum et sanctissimum episcopum contulit cum illo peritissimo sed inhonesto scriptore qui, decimo sexto sæculo, res gestas a tribus gigantibus peregit (4), aliquid majus et fortasse inconsultum tentabo. Quilibet enim e litteratis viris, qui nunc sunt, profecto incitaretur ad illud *exemplum eximium de restituenda re aliena* comparandum cum quadam celeberrima narratione (5), quæ

(1) *Serm.* CCLXXIX, caput I, 2.

(2) *Serm.* CLXXVIII, caput VII.

(3) La Fontaine

(4) Rabelais.

(5) *Le Bûcheron et sa Cognée*, V. Taine, *la Fontaine et ses Fables*, troisième partie, chap. I.

in trium gigantum jam citata historia reperitur. Atque ita, sine dubio, ei opportunitas optimæ comparationis instituendæ ultro se offerret ; quod breviter designo, non perficio, ne piissimum nostrum Doctorem vel levissima contumelia invitus afficere fortasse videar.

Præter hæc, sunt in narrationibus Sancti Augustini peculiares quædam virtutes, quas non solum apud inhonestum, licet peritissimum scriptorem, sed apud fere omnes doctores nunquam occurrunt. Hipponensis enim episcopus, tanquam tragicus scriptor, res gestas explicat duplicem ob hanc causam, quod et auditores vehementissimo ardore diligit et imitandorum martyrum sanctorumque magnopere cupidus eorum personas ipse sustinet. Eum quidem, non aliter ac martyres, dolore cruciari et divino Spiritu tangi et verba quasi fervida sæpissime proferre dicas : « Ut autem Laurentius accenderet in iram perse-« cutorem hoc fecit, non illum volens irasci, sed suam « fidem cupiens posteris commendare et quam securus « moreretur ostendere : Pergant, inquit, mecum vehicula « in quibus apportem opes Ecclesiæ. Missa sunt vehi-« cula, oneravit ea pauperibus et redire jussit dicens : « Hæ sunt opes Ecclesiæ. Et verum fratres : magnæ opes « sunt Christianorum, necessitates egentium ; si intelli-« gamus ubi debeamus servare quod habemus. Ante nos « sunt egentes : ibi si servaverimus, non perdemus. Non « timemus ne aliquis tollat ; ille enim qui dedit servat. « Nec meliorem possumus invenire custodem nec fide-« liorem promissorem (1). » Ejusmodi innumeras narrationes qui colligeret, ille quoddam epicum poema, sed tragicorum arte scriptum, procul dubio componeret. Etenim antiquorum Christianorum mirandum vitæ genus, virginum sacrarum divinus castusque furor, martyrum

(1) *Serm.* CCCII, cap. IX.

tormenta, dicta suprema et mors eximii carminis epici materiam præbent et cum ingenio Augustini omni modo congruunt. Optandum est igitur ut unus e nostris Gallicis sacerdotibus, aut quilibet vir in litteris christianis versatus, e *Sermonibus* multas narrationes excerpat atque eclogarios locos piis Christianis utiles eruditisque omnibus lectoribus acceptissimos edat. Unum quidem aliud exemplum, sed quod suavissimum et pulcherrimum judicem, proferam : « Videamus, charissimi, videa« mus, spectemus magnum spectaculum ; spectemus et « diei crastino proponendum. Videamus. Ecce Stephanus « lapidatur, sit constitutus quasi ante oculos nostros. « Eia membrum Christi, eia athleta Christi, inspice « illum qui pro te pependit in ligno. Crucifigebatur ille, « tu lapidaris. Ille dixit : Pater ignosce illis, quia « nesciunt quid faciunt. Tu quid dicis, audiam. Vi« deam te, ne forte possim imitari vel te. Primo bea« tus Stephanus stans oravit pro se, et ait : Domine « Jesu, accipe spiritum meum. Deinde positis geni« bus pro lapidatoribus orans : Domine inquit, ne « statuas illis hoc peccatum. Hoc dicto, obdormivit. « O felix somnus et requies vera ! Ecce quid est requies« cere, pro inimicis orare. Sed paululum quæso te, sancte « Stephane, expone mihi hoc, nescio quid, quare pro te « stans orasti, et pro inimicis genu fixisti ? Respondet « fortasse quod intelligimus : Pro me stans oravi, quia « pro me qui recte Deo servivi oravi, orando et im« petrando non laboravi (1). » Nunc fortasse ii, qui adversus religionem Christianam repugnant, Augustinum nonnunquam dulcissima quadam et piissima ebrietate quasi obrui mente cogitabunt ; Christiani autem, qui in sacris scripturis intellegendis sunt versati, verba beati Pauli meminerunt et secum dicent : *Augustinus stultus pro Christo*

(1) *Serm.* XLIX, caput x.

factus est atque nonnisi in infirmitatibus et in cruce Domini nostri Jesu Christi gloriatus est.

Attamen hæ laudes, quas nostro Doctori maxima cum voluptate tribuo, ut omnes justitiæ leges serventur, paulum coangustandæ sunt. Ejusmodi enim narrationes, quamvis eos qui legunt ad magnam admirationem traducant, ex parte debiles et imperfectæ sunt. Augustinus totum factum omnino cognoscere et certo ordine explicare non curat, sed, veluti poeta, singula circumvagatur atque aut in rebus parvi momenti diu immoratur, aut maxima negligit. Lege quidem illum insignem sermonem XXXVII in quo de muliere forti agitur, et singula verba, quæ sunt in sacra Scriptura ab Augustino amplificata fuisse certior fies. Ex alia vero parte, idem narrator facta aliquando in breve adeo cogit, ut ejus verba vix intellegi possint. Augustinus enim, non narrationes prorsus absolutas, sed potius narrationum partes componebat, propterea quod et de erudiendo populo semper cogitabat et nonnisi facta jam ab auditoribus nota amplificabat. « Hodiernus dies anniversaria replicatione nobis in memoriam revocat et quodam modo repræsentat diem quo sanctæ famulæ Dei Perpetua et Felicitas coronis martyrii decoratæ perpetua felicitate floruerunt, tenentes nomen Christi in prælio et simul invenientes etiam suum nomen in præmio. Exhortationes earum, triumphosque passionum, cum legerentur, *audivimus*, *mente spectavimus* (1). » Quapropter Augustinus raro narrationes proprie vereque dictas componit, sed sæpissime narrationes coram populo jam recitatas explanat : quod quidam nimium severi judices magnum vitium esse fortasse arbitrabuntur. Litterati autem viri id, quod in hoc dicendi genere novum et pulcherrimum inest, sane depre-

(1) *Serm.* CCLXXX, caput VIII.

hendent atque omnes narrationes Augustini uno animo collaudabunt.

Attamen quot et quantæ oratoriæ virtutes in his narrationibus eniteant me exprimere non posse fateor. Etenim qui conaretur nostri Doctoris omnes facultates in certum quemdam ordinem adducere et varia cogitandi, sentiendi, dicendi genera, quæ in ejus operibus occurrunt, breviter designare, ille rem suam inconsulte gereret. Notata igitur hac rarissima et quasi ditissima varietate, diversas et maxime conspicuas narrationum formas, quas Augustinus adhibuit, proferam et quasi ante oculos lectoris producam.

Etenim Hipponensis episcopus, gravissimus vir et tenera animi mollitudine præditus, nonnunquam tamen cum suo populo cavillabatur et, satiricorum aut comicorum scriptorum modo, mores oratione effingebat. Nonne insequentem narrationem cum iis, quæ sunt in operibus Plauti aut Terentii, comparandam esse aliquis jure diceret ? « Jam vero illud, quanquam admonere non « debui, quando quidem tempus humiliandæ animæ, « quantum potui, maxime commendavi ; tamen propter « hominum errores tacere non possum. Sunt quidam « observatores Quadragesimæ deliciosi potius quam « religiosi, exquirentes novas suavitates magis quam « veteres concupiscentias castigantes ; qui pretiosis « copiosisque apparatibus fructuum diversorum, quo- « rumlibet obsoniorum varietates et sapores superare « contendunt : vasa in quibus coctæ sunt carnes tan- « quam immunda formidant, et in sua carne ventris et « gutturis luxuriam non formidant : jejunant, non ut soli- « tam temperando minuant edacitatem ; sed ut immode- « ratam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus « reficiendi advenerit, opimis mensis tanquam pecora « præsepibus irruunt ; numerosioribus ferculis corda

« obruunt ventresque distendunt, artificiosis et peregri-
« nis condimentorum diversitatibus gulam, ne vel copia
« compescatur, irritant. Denique tantum capiunt man-
« ducando, quantum digerere non sufficiant jejunando.
« Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expres-
« sione pomorum alios sibi liquores, non salutis causa,
« sed jucunditatis, exquirant (1). » Sæpe etiam narrat Augustinus quædam facta non lubrica quidem, sed quæ quivis e recentissimis sacris oratoribus leviter attingere vix auderet. Audi enim eum de durissimis certaminibus, de partu, et de morte sanctæ Felicitatis in sacra contione loquentem : « Felicitas vero in carcere prægnans fuit.
« In parturiendo femineam conditionem feminea voce tes-
« tata est. Non aberat Evæ pœna, sed aderat Mariæ gratia.
« Exigebatur quod mulier debebat ; opitulabatur quem
« Virgo pepererat. Denique editus est partus, immaturo
« mense maturus. Actum est enim divinitus ut non suo
« tempore onus uteri poneretur, ne suo tempore honor
« martyrii differretur. Actum est, inquam, divinitus ut inde-
« bito die fetus ederetur, dum tamen tanto comitatui
« debita Felicitas redderetur (2). » Augustino quoque mos erat narrationem suam deserere, ut ea, quæ contra doctrinam christianam dici possent, dilueret, aut audientes ad veritatem humili animo accipiendam seu ad præcepta Dei servanda vehementer hortaretur (3). Denique Hipponensis episcopus quasdam insolitas res insolita ratione narrat, quæ nos recentes lectores summa miratione commovet et illud, quod omnes sentimus, quasi obruit atque deturbat. Hac enim nostra ætate, multi homines non solum in nonnullis erroribus, velut antiqui hæretici, versantur, sed totam Ecclesiæ doctrinam respuunt atque ejus legibus leges

(1) *Serm.* CCX, caput VIII.

(2) *Serm.* CCLXXXI, caput III.

(3) *Serm.* CCCXVIII, 1.

contrarias opponunt. Refert igitur sacrorum oratorum, si quando aliquod miraculum narrent, dilucide et longum explicare quo modo hoc miraculum factum sit et a quibus viris visum sit ; quoq omnes Ecclesiæ ministri qui nunc sunt, diligenter curant. Sed contra Augustinus adeo opportunitatem illius tractatus, quem theologici scriptores *de vera Religione* vocant, instituendi non arripit, ut miraculum tanquam factum commune, non sine quadam negligentia, narret. « Non eum diem quo hic posita est, sed « eum diem hodie celebramus quando inventa est pre« tiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus per « Ambrosium episcopum hominem Dei, cujus tunc tan« tæ gloriæ martyrum etiam ego testis fui. Ibi eram, Me« diolani eram, facta miracula novi, attestante Deo, pre« tiosis mortibus sanctorum suorum : ut per illa miracula « jam non solum in conspectu Dei, sed etiam in cons« pectu hominum esset mors illa pretiosa. Cæcus notissi« mus universæ civitati illuminatus est, cucurrit, adduci « se fecit, sine duce reversus est. Nondum audivimus « quod obierit, forte adhuc vivit. In ipsa eorum basilica, « ubi sunt eorum corpora, totam vitam suam serviturum « se esse devovit. Nos illum gavisi sumus videntem, « reliquimus servientem (1). »

Quod si hanc sermonis partem compares cum illis notissimis verbis (2), quæ unus e recentissimis celeberrimisque gallicis scriptoribus nuper protulit, magnopere non stupescere procul dubio non poteris. Quod enim Christianus Doctor negligenter exponit, hoc, testante Gallico scriptore, dignum est quod a doctissimis viris longum attenteque inspiciatur. In narrationibus igitur

(1) *Serm.* LXXXVI, caput. v.

(2) Legenda sunt ea quæ unus e scriptoribus qui nunc sunt, de miraculis dixit. Renan, *Vie de Jésus*. Introduct., p. 50.

quas Sanctus Augustinus Sermonibus suis miscuit, summam diversitatem esse patet.

Reliquum est ut de genere dicendi, quo Augustinus in narrationibus utitur, paucis disseram. Sed primum quæso a litteratis viris ne in hoc meo opusculo me de verborum elegantia et de Rhetorum præceptis non tractavisse conquerantur. Rebus enim dare operam et verba paululum negligere, quam stili ornamenta nimio ardore prosequi præstat. Conferat benignus lector Silium Italicum, ut exemplum quoddam afferam, aut Statium, aut Claudianum, aut ceteros ejusmodi scriptores, qui suam orationem maxima diligentia poliebant, cum barbaris oratoribus Tertulliano, Gregorio, Salviano, qui rhetoricæ regulas contemnere videbantur (1). Hi quidem, quanquam in recentibus nostris scholis immerito negliguntur, etiam nunc sunt vivi et vividi, et ii qui adulescentium mentes informent et doctorum disputationibus alimoniam præstent.

Præterea, non aliter in narrationibus quam in ceteris Sermonum partibus (2) Hipponensis episcopus locutus est. Præcipue autem designari volo illas submissas et simplices homilias in quibus, ex occurrentis festi opportunitate, Scripturarum quemdam locum explanabat. Atque eum, dum narrationes suas ordine disponit, magistro qui nullo apparatu discipulos erudit, aut patri qui cum dilectissimis filiis suis colloquitur, potius quam docto et perito viro qui ornatissimam orationem habet, similem esse dixeris.

(1) *La Fin du Paganisme*, livre III, chap. I, par M. Gaston Boissier.

(2) V. Villemain, *Tableau de l'éloquence chrétienne au IVe siècle*; — Ebert, *Histoire générale de la littérature latine*; — Charpentier, *Etude sur les Pères de l'Eglise*; — Colincamp, *Etude critique sur la méthode oratoire de Saint Augustin.*

Etenim ab Africano populo, quippe qui e maritimis hominibus et ignaris agricolis constaret, Christi præcepta explicantem aut facta commemorantem audiri et intellegi Augustinum ante omnia voluisse, nemo est qui non perspiciat. Sui immemor et illi gloriæ, quam plerique oratores maximo ardore prosequuntur, minime consulens, nequaquam curat ut, adhibitis elocutionis antiquis artificiis, audientes admiratione moveat atque ora populi in se convertat.

At Hipponensis episcopus, dum in conspectu sive doctorum sive ignarorum narrationes habet, nonnisi explanandæ sacræ Scripturæ laborem impendit. Qui tamen eum libris sacris velut nostros gallicos oratores uti censeret, ille profecto maximo errore caperetur. Nostri enim oratores, qui decimo septimo sæculo floruerunt quique nunc sunt, e sacra Scriptura unum quoddam brevissimum propositum sumunt, quod variis et ad diversas res pertinentibus argumentis defendant. Sæpissime etiam verbum sacrum protulisse nobis videntur, non ut totam orationem suam breviter complecterentur, sed ut ornate dicerent aut antiquæ et quasi necessariæ consuetudini servirent. Brevissimum tandem propositum e sacra Scriptura sumptum et in initio dicendi recitatum nonnulli oratores, suam piam causam agendo, obliviscuntur aut quam paucissimis verbis vix commemorant.

Non ita quidem se gerit Augustinus : nam si de rebus in sanctos libros non apte cadentibus interdum disserere cogitur, occasionem Scripturæ proferendæ adipiscitur, et venerabilem stilum sanctorum auctorum, ut ipse aiebat, avidissime arripit. Itaque multas et amplas et, ut ita dicam, optimarum cogitationum epulis saturatas narrationes de sacra Scriptura edidit. Adde quod Augustinus, qui nullam

sanctorum librorum partem contemnit, proprie tamen studet illi Veteri Testamento, quod nostri Gallici scriptores, uno excepto (1), rarissime aut quasi timidiore animo agitant. Delectatur quidem in explanandis illis sacris narrationibus, quæ nos maxima admiratione afficiunt, nedum illius antiquæ ætatis eum pudeat. Etenim terrestris paradisi memoriam, Noe, Abraham, Moysis, Ruth historiam, ceterasque Veteris Testamenti personas æque ac Joannem Baptistam aut Apostolos aut Christum commemorat.

Denique hic mihi referre liceat quædam eximia verba, quæ duo doctissimi peritissimique scriptores iique inter se dissimillimi, de narrationibus, quæ sunt in Sancti Augustini *Sermonibus*, protulerunt. Unus quidem, ad Hipponensem episcopum nimis laudandum minime propensus, in digressionibus, atque igitur in narrationibus, « nescimus quid jucundi inesse » confitetur (2). Testante altero, (Meldensem episcopum nostri Doctoris piissimum et præclarissimum discipulum dico), non solum narrationes varietate multisque virtutibus ornatæ sunt, sed etiam recte collocatæ et cum ceteris orationis partibus conjunctæ (3), quod nequaquam discrepat ab iis, quæ, ineunte hoc nostro capite, diximus. Neque enim in ea re tam curabat Augustinus ut rhetorum præceptis inserviret, quam ut theologiam aut piam audientium libidinem sequeretur. Digressiones etiam et narrationes in *Sermonibus*, iisque popularibus, frequentiores esse quam in ceteris tractatibus, qui doctis addicebantur, Meldensis noster episcopus, maxima opportunitate, notat.

Talem ergo in narrando Hipponensis episcopus sese

(1) Bossuet.

(2) Richard Simon, *Histoire critique de l'Ancien Testament.*

(3) Bossuet, *Défense de la Tradition et des Pères*, liv. IV, chap. XVIII.

præbuit. Cujus in narrationibus forsan reperire est quaedam, quæ minus admittant severiorum judicum teretes aures, et quæ paulum rudia aut puerilia limatulo et politulo scriptori videantur. Sed hujusmodi narratorem Hipponenses, immoque Carthaginienses auditores permirum in modum dilexerunt, atque ei ut similes familiari suavitate fiant Christiani oratores, erudiendæ simul et delectandæ plebis cupidi, optandum est.

CAPUT QUARTUM

Augustini narrationes cum Tullii narrationibus breviter comparantur.

Sæpissime Tullii hactenus me mentionem intulisse in memoriam lectoris inprimis reduco. Etenim multa ex iis, quæ jam dicta sunt, huc recidunt, ut artem Augustini ab arte, quæ in scholis rhetorum vigebat et quam Tullius pernoscebat, quodam modo secernant; hæc tamen comparatio quasi obliqua et manca haberi possit. Nunc autem quibus in rebus narrationes Tullii et Augustini inter se similes sint, quibus in rebus maxime differant plane dicere reliquum est.

Itaque notemus nostros duos oratores non solum exempla narrationum in suis orationibus præbuisse, sed de illis rhetoricæ præceptis, quæ ad optimam rationem narrandorum factorum spectant, tanquam peritissimos magistros disputasse. Ea quidem omnia, quæ Tullius de narratione discipulos suos docet, quasi in quattuor genera recte cogas; scilicet breviter perspicueque dicendi leges, artem rerum veri similium quærendarum atque præcepta bene orandi definitione declarat et verbis explicat. Qua in rhetoricæ parte, tum Augustinus cum Tullio consentit, tum adversus eum pugnat. Quin etiam, Tullius interdum secum haud consentit, propterea quod tria nar-

rationum esse genera pronuntiat. Attamen si summam Tullianæ rhetoricæ mente comprehendamus, orator breviter narrare habebitur si inde incipiet narrare, unde necesse erit, si non ab ultimo initio repetere volet, et si summatim, non particulatim narrabit, si non ad extremum, sed usque eo quo opus erit, persequetur (1).

De brevitate dicendi Augustinus Christianis narratoribus multa et inter se paulum diversa præcepta tradidit, ita ut eis facultatem sermonum verbis amplificandorum aut in angustum adducendorum reliquerit. Præterea, sunt multi sermones brevissimi, sunt quoque sermones alii ampli et qui fortasse paulo longius provecti tibi videantur. «Nam, inquit, si longus tibi videtur iste sermo, quo « tanquam præsentem rudem hominem instruxi, licet ea « tibi dicere brevius, longiorem tamen esse debere non « puto ; quanquam multum interest, quid res ipsa, cum « agitur, moneat, et quid auditorum præsentia non solum « ferre, sed etiam desiderare se ostendat. Cum autem « celeritate opus est, vide quam facile explicari tota res « possit (2). »

Augustinus autem et Tullius in laudanda perspicuitate dicendi consentiunt, immo se invicem explent ; sed cum fere omnes lectores ea, quæ Tullius instituit (3), jam pernoscant, verba tantum Augustini hic proferenda esse arbitror. « Quamvis in bonis doctoribus tanta docendi « cura sit, vel esse debeat, ut verbum quod nisi obscurum « sit vel ambiguum, latinum esse non potest, vulgi autem « more sic dicitur ut ambiguitas obscuritasque vitetur...

(1) *Rhetorica ad Herennium*, lib. I, cap. IX ; *De Inventione*, lib. I, cap. XXI.

(2) *De catechiz. Rudibus*, pars II, 51.

(3) *De Oratore*, lib. II, caput LXXX.

« Non solum in collocutionibus, sive fiant cum aliquo uno, « sive cum pluribus, verum etiam multo magis in popu- « lis, quando sermo promitur, ut intelligamur instandum « est. Solet autem motu suo significare utrum intellexe- « rit cognoscendi avida multitudo: quod donec significet, « versandum est quod agitur, multimoda varietate di- « cendi.... Quid enim prodest clavis aurea, si aperire « quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc « potest (1)? » Hoc igitur unum interest inter duos nostros magistros, quod Tullius apertam narrationem ab oratore exigit, non ut omnia verbis explanet, sed ut quædam manifestissima faciat et quædam alia abscondat. Ejusmodi dolis Augustinum non usum fuisse patet.

Veri similis narratio erit, referente auctore illius libri cui *Rhetorica ad Herennium* nomen inscribitur, si, ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus, si spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum opportunitates constabunt. Hæc omnia subtilia præcepta Augustinus, qui se non tanquam dolosum causidicum, sed solius veritatis humillimum patronum gerebat, prorsus neglexit et ea tantum, quæ verissima esse putabat, candide narravit.

At, si de forma dicendi qua narrator uti jubetur, disputemus, Christianus episcopus ab oratore Romano plurimum dissidet. « Hoc in genere narrationis, ait Tullius, « multa inesse debet festivitas, confecta ex rerum varie- « tate, animorum dissimilitudine, gravitate, lenitate, spe, « metu, suspicione, desiderio, dissimulatione, errore, mi- « sericordia, fortunæ commutatione, insperato incommodo, « subita lætitia, jucundo exitu rerum. Verum hæc ex his

(1) *De Doctrina christiana*, lib. IV, caput x-xi.

« quæ postea de elocutione præcipientur, ornamenta « sumentur (1). »

Sancti Augustini verba nobiscum nunc reputemus : « Nos, inquit, decet esse cautos, ne illa, quæ vera narra- « mus, sine suarum causarum digesta, aut inani sua- « vitate aut perniciosa cupiditate credantur (2). » Censet igitur oratoribus sacris suadendum esse, ut falsam verecundiam procul ejicientes, verba vitiosa, si sit necesse, in conspectu rudium aut etiam doctorum efferre audeant. Ipse quidem brevem et quasi extenuatam orationem semper exhibuit, quæque familiari sermone, ut ita dicam, dissimularetur. Neque solum non arripuit, sed etiam vitavit occasiones eruditionis ostentandæ et stili perpoliendi, ita ut lector, omnium rerum oblitus, nonnisi de rebus narratis cogitaret.

Quod attinet, non ad rhetoricam, sed ad ipsas Tullii et Augustini narrationes jam nemo non perspicit quid de nostra comparatione sentiendum sit. Ut enim peritissimus omnium causidicorum et elegantissimus scriptorum latinorum humillimum episcopum cum ignaris et pauperrimis viris de more conversantem superat, ita narrationes Tullii narrationibus Augustini præstant. Sed cum peritissimi atque eruditissimi scriptores egregias illas virtutes, quæ in Ciceronis orationibus nitent, notas fecerint, jam dicta iterum proferre supervacuum est. Eamdem ob causam, celeberrimas ex illis narrationibus (3), quibus princeps oratorum romanorum suas contiones ornavit, silentio præteribo.

(1) *De Inventione*, libri I, caput xix.

(2) *De catechizandis Rudibus*, pars I, 10.

(3) *Pro lege Manilia*, cap. II ; — *Pro Milone*, cap. IX, X. — *In Catilinam*, IV, caput VII. — *Pro domo*, cap. LV.

Me quidem potius delectat immorari in iis, quæ sunt gloriæ Sancto Augustino. Atque inprimis, quis credat Romanos oranti Tullio plausus dedisse eo uno consilio, ut veritatem justitiamque colerent et oratorem perfectissimum honore prosequerentur ? Etenim in iis, quæ ad rem publicam gerendam pertinent, quidam viri ab honorum aut pecuniæ cupiditate non abstinent, sed suas res potius quam orantium eloquentiam spectare solent. Ita fit ut eloquentia civilis sæpe non ad fidem auditoribus faciendam, sed ad gloriam ipsius oratoris augendam, aut ad serviendum pravis cupiditatibus plebis valeat. Nam si celeberrimi oratores suas cogitationes, easque maxime reconditas, exprimerent, nonnunquam se ad solam verecundiam locutos fuisse faterentur, eo quod multi auditores vel consilii capiendi facultatem non haberent, vel præjudicata opinione tenerentur. Quos animi habitus Tullius negligere non poterat, dum res gestas a clientibus aut ab adversariis coram populo romano verbis explicabat. « Atque magis hæc pars orationis, narrationem dico, obscura est quam ceteræ ; quia, si quo alio in loco est dictum quid obscurius aut falsum, tantum id perit, quod ita dictum est; narratio falsa totam orationem corrumpit (1) »... Tullius igitur quasi invitus ad facta paulum mutanda aut ad res quasdam abscondendas nimiumve laudandas, quodam modo incitabatur : id sane dicere possumus quin principi romanorum oratorum injuriam afferre videamur. Augustinus contra, omni perturbatione animi atque omni prava propensione vacans, plausus et divitias et honores et ea omnia, quæ extra veritatem sunt, contemnebat atque facta tantum et mentes audientium introspiciebat. Itaque in hac re Tullio causidicorum callidissimo piissimum Monicæ filium, sine ulla dubitatione, præfero.

(1) *De Oratore*, libri II, caput LXXX.

Deinde Augustinum, dum cives Hipponenses compellabat, quam maxima familiaritate usum fuisse manifestum est. Non tamen a Tullio plebem omnino neglectam fuisse existimo; sed suas proprias res curabat ille ditissimi Attici amicus, et optimatum cupiditates mulcebat, et divitias æque ac verborum elegantiam captabat. Sed contra, quam gratuito amore, quanta animi excelsitate, quanta suavitate, Hipponensis episcopus pauperibus se totum dedebat! « Operæ pretium est animadvertere, aiebat, « quomodo, quanquam et superiores velint se ab inferio- « ribus diligi, eorumque in se studioso delectentur obse- « quio, et quanto magis id senserint, tanto magis eos dili- « gant, tamen quanto ardore exardescat inferior cum a « superiore se diligi senserit. Ibi enim gratior amor est, « ubi non æstuat indigentiæ siccitate, sed ubertate benefi- « centiæ profluit. Ille namque amor ex miseria est, iste « ex misericordia. Jam vero, si etiam se amari posse a « superiore desperabat inferior, ineffabiliter commovebi- « tur in amorem, si ultro ille fuerit dignatus ostendere « quantum diligat eum qui nequaquam sibi tantum bonum « promittere auderet. Quid autem superius Deo judicante, « et quid desperatius homine peccante? qui se tanto « magis tuendum et subjugandum superbis potestatibus « addixerat quæ beatificare non possunt, quanto magis « desperaverat posse sui curam geri ab ea potestate quæ « non malitia sublimis esse vult, sed bonitate sublimis « est (1) ». Atqui in narratione, potius quam in ceteris orationis partibus et in ceteris dicendi generibus, requiritur illa popularis incitatio, quæ e vero amore nascitur. Etenim orationes aut tragœdiæ aut lyrica carmina, quæ plebem magnopere delectant, maximam dissimili-

(1) *De catechiz. Rudibus*, pars 1ª, 7.

tudinem habent ab orationibus, tragœdiis et lyricis carminibus, quæ a delicatis scriptoribus ad doctos optimatesque accommodata sunt. Narrationum vero et fabularum optimi præclarissimique auctores multa, ne dicam omnia, a plebis moribus, carminibus, pietate sumunt. Inde fit, ut Augustinus cura delectandorum simul et erudiendorum pauperum continuo sollicitatus, novam, peculiarem et plebi acceptissimam, et eam quæ litteratorum virorum admirationem commoveat, narrandi formam finxerit.

Cur tandem Hipponensem episcopum æque ac Tullium narratorum ducem et quasi magistrum eligam, sine ulla dubitatione fateor. Haud multum a populo, quem erudiebat Augustinus, aut ab ipso Augustino, omnes nunc, indocti aut docti, consuetudine differimus. In nostro quidem Doctore non ægre reperias illam peculiarem animi mollitudinem, hoc novum perturbationum cupiditatumque genus, quæ recentissimi nostri scriptores oratione exprimunt. Eum profecto quasi fratrem nostrum et unum de multis qui nunc sunt et dulcissimum amicum ac nostrarum animarum medicum esse existimes. At contra, minimam similitudinem præbemus illorum optimatum Romanorum, qui reipublicæ gubernacula atrociter tractabant. Quamvis enim Tullius res gestas a Romanis civibus perfecta arte narret, a nobis disjunctus nimio intervallo locorum, temporum, morum haberi potest, immo nonnullam satietatem lectoribus recentioribus aliquando facit.

Quas ob causas, si ad artem tantum animum attendamus, Tullium Augustino longe præstare certum est. Hipponensis autem episcopus nobis res gratissimas utilissimasque et recentibus moribus aptissimas narrat, nos optimæ castissimæque voluptatis illecebris mulcet, simulque altissimam doctrinam eruditos docet atque sacris oratoribus

certam rationem miscendarum narrationum sermonibus manifestam facit. Quod si multitudo lectorum magis ac magis ad nostrum Doctorem noscendum duceretur, in laudandis Tullianis narrationibus certo perseveraret, sed fortasse eas nonnunquam relinqueret ut sæpius in Augustinum narrantem incumberet.

Nunc sane animo lectorum quidam præclari viri quasi necessario occurrent. Demosthenem, ut exemplis utar, aut Meldensem episcopum dico, aut nonnullos e recentissimis nostris oratoribus qui narrationes composuerunt. Sed præterquam quod Augustinum cum omnibus oratoribus conferre mihi non licet, eadem aut saltem fere eadem iterum atque iterum dicenda esse non censeo. Cur Meldensem episcopum de eorum numero non excerpam, haud mirandum est. Etenim non aliter ac politissimi et peritissimi ex antiquis scriptoribus consensioni omnium partium orando studet et, quanquam in perpoliendo stilo tempus non consumit, artem tamen bene dicendi plane notam habet et vitat illa minima vitia, quæ Augustino quasi dedecori sunt. Quin etiam, veluti epicus poeta, prælia narrat, aut similis lyricorum carminum auctoribus urbem superbam quæ medium mare regebat atque hostes a Gallia superatos, sacrorum prophetarum ratione, commemorat. Sunt in ejus narrationibus omnes virtutes, quas et apud Tullium et apud Augustinum reperias. Attamen Hipponensis episcopus Meldensem episcopum, quadam ex parte, superat; illam designari volo eximiam animi mollitudinem, qua Augustinus Hipponenses aut Carthaginienses cives flectebat atque etiam nunc lectores omnes delectat. Itaque quamdam narrationem e sermonibns sumptam proferam, quæ aliam narrationem a Meldensi episcopo celeberrimæ orationi insertam in memoriam revocat : « Gallina « evangelica. Nemo vos murmurando avertat ab exspec« tatione futurorum. Omnes qui propter istas adversita

« tes blasphemant Christum nostrum, cauda scorpionis « sunt. Nos ovum nostrum sub alis illius gallinæ pona« mus evangelicæ, quæ clamat : Jerusalem, Jerusalem, « illi falsæ et perditæ, quoties volui colligere filios tuos, « tanquam gallina pullos suos et noluisti ? Non nobis di« catur, Quoties volui, et noluisti ? Illa enim gallina « divina sapientia est ; sed assumpsit carnem ut pullis con« grueret. Videte gallinam hispidam plumis, dimissis alis, « voce fracta, et quassa, et lassa, et languida, congruere « parvulis suis. Ovum ergo nostrum, id est, spem nostram « sub alis illius gallinæ ponamus (1) ».

Laudent rhetores illam summam artem, qua Meldensis episcopus insignis mulieris errores culpasque oratione exprimit atque evangelicam doctrinam coram delicatissimis auditoribus verbis explanat ; ego quidem oratori Gallico Latinum narratorem antepono. Etenim, quamvis Meldensem episcopum evangelicæ narrationis non pudeat, eum tamen optimatum Gallicorum pravæ verecundiæ paulum inservire contendas. Augustinum contra humillima, sed gratissima comparatio, qua Christus usus est, magnopere delectat. Itaque eam dicendo verbis amplificat, et quasi pia audacia humiliorem facit, ita ut immensam divinamque Christi suavitatem sibi assumpsisse videatur.

Ne autem hæc verba litterati viri, qui maximis laudibus Meldensem episcopum extollunt, mihi vitio vertant. Namque Hipponensem episcopum tanquam suum ducem et magistrum ipse habebat et se illi inferiorem esse libentissime profitebatur, neque tamen illam animi mollitudinem, de qua sæpissime jam diximus, fortasse magni momenti faciebat.

(1) *Serm.* CV, cap. viii.

CONCLUSIO

Nunc, ut perspicuum sit illud, quodcumque hac nostra opera consecuti sumus, paucis, antequam finem scribendi faciamus, concludendum videtur quid de narrationibus Sancti Augustini sit sentiendum et quantam utilitatem ex eis percipere possimus.

Atque ut omnia jam dicta quasi in unum cogamus, Augustinus suis *Sermonibus* multas narrationes miscuit, sive quod dilectissimos suos magistros, Platonem, Vergilium, Tullium imitatus est, sive quod rebus gestis explicandis vehementer delectabatur, sive quod in artem coram omnibus viris, præsertimque coram plebe orandi diu incubuerat. Hæ narrationes in historia sacra, aut in vita morteque sanctorum et martyrum, aut in moribus Christianorum fere omnes versantur. Deinde introspicere conati sumus qua arte Hipponensis episcopus facta exposuerit atque multas egregiasque virtutes quæ apud Tullium aut Thucydidem aut Sallustium aut Tacitum nitent, in *Sermonibus* non reperiri sincera mente declaravimus. Ex alia autem parte, quam præclare Augustinus rebus gestis utitur, ut auditores doctrinam christianam doceat, quanta solertia artem comicorum aut tragicorum imitatur, quam suavi misericordia pauperrimam ignaramque plebem ab antiquis plerumque neglectam ad Deum erigit, quam grata varietate austeras orationes brevibus narrationibus distinguit! Eas ob cau-

sas narrationes, quæ sunt in *Sermonibus* Sancti Augustini, cum celeberrimis illis narrationibus, quas grammatici et rhetores gloriæ vertunt Tullio , comparare ausi sumus. His autem continuis argumentis, quæ ita attulimus, id unum ostendere animo cogitavimus, Augustinum gratissimas composuisse digressiones, quæ seorsum a ceteris orationis partibus considerari possint. Restat ut inde triplicem rationem concludamus.

Primum nostri Doctoris sermones omnes perlegenti sane apparet maximum principium in quo totum meum opusculum quasi ponitur. Scilicet narrationes, quas in Hipponensis episcopi orationibus reperimus, neque negligi neque omitti possunt ab iis, qui litteris latinis student, propterea quod magnam et peculiarem notam *Sermonum* efficiunt. Litterati quidem viri qui nunc sunt longum sæpissimeque disputant de orationibus, quas antiqui historici scriptores suis Annalibus miscuerunt, nedum eas contemnant aut silentio præterire videantur. Ita quidem, in litterarum latinarum historia, Sancti Augustini narrationes maximi momenti sunt. Quod citius mente comprehendes , si quoddam verbum notissimum memoria repetas, quod præclarissimus e nostris fabularum auctoribus olim protulit (1). Fabulæ enim et narrationes quanquam pueris præcipue conveniunt, viros tamen maturos et doctos, ipsosque senes delectant. Præterea plerique sermonum auctores, altissimas difficillimasque res verbis explanantes, auditoribus mobilibus tædium afferunt : « Sæpe enim fit ut qui primo libenter audiebat, « vel audiendo vel stando fatigatus , non jam laudans, « sed oscitans labia diducat et se abire velle etiam « invitus ostendat. Quod ubi senserimus, aut renovare

(1) *Gallicarum fabularum notissimum auctorem dico* (Si Peau-d'Ane m'était conté, etc.)

« oportet ejus animum, dicendo aliquid honesta hila-
« ritate conditum et aptum rei quæ agitur, vel aliquid
« valde mirandum et stupendum, vel etiam dolendum
« atque plangendum ; et magis de ipso, ut propria cura
« punctus evigilet, quod tamen non offendat ejus vere-
« cundiam asperitate aliqua, sed potius familiaritate
« conciliet (1). »

Deinde est eorum virorum, qui, non de litteris, sed de historia gentium aut de moribus præcipue cogitant, ad narrationes Augustini animum attendere. Omnes enim sciunt in plerisque optimorum auctorum operibus atque in orationibus multa esse indicia, quæ scriptorum historicorum scientiæ inserviant. Qui igitur Augustini sermonibus, scriptorum historicorum modo, studere cuperent, ii, ni fallor, relictis fere omnibus orationis partibus, nonnisi in narrationes jure incumberent. Hic enim noster Doctor tota instituta in quibus, ut ita dicam, Ecclesia Christi ponebatur, verbis explicat atque mores populi Christiani, scientiam clericorum, sacrarum virginum prælia, plebis pravas religiones, pauperum hominum cupiditates, Carthaginiensium aut Hipponensium civium vitia quasi oculis nostris proponit. Itaque in has narrationes id, quod de historia tota Augustinus quadam die pronuntiavit, paulum mutatum conferam : « Quidquid de
« ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appella-
« tur historia, plurimum nos adjuvat... etiam si præter
« Ecclesiam puerili eruditione discatur (2). »

Denique Augustinus quoddam genus narrandi simul et orandi finxit, quod si litterati viri attento animo intueantur, et novum et cum recentibus Christianarum gentium

(1) *De catechiz. Rudibus*, pars I, 19.

(2) *De Doctrina christiana*, lib. II, cap. xxviii.

moribus omnino congruum esse fatebuntur. Antiqui enim oratores tum Græci tum Romani, quamvis sæpius vocem *plebs* usurpent, de more tamen adhibent quamdam dicendi formam, quæ politis tantum doctisque viris placet. Princeps ex omnibus peritis oratoribus noster Augustinus oratoriis virtutibus utitur, ita ut narrationes evolvendo, pauperes rudesque civitatis Hipponensis incolas altissimam doctrinam doceat. Augustinus igitur, dum coram ignaris auditoribus orat, semper dignus est qui nos omnes admiratione percellat; suavior autem est et pulchrior et is qui majorem misericordiam commoveat, quotiescumque, veluti dulcissimus pater, suis filiis res olim gestas aut pias fabulas narrat.

Notemus quoque hanc nostri Doctoris artem discrepare cum illa arte, quæ apud antiquos oratores aut historicos scriptores vigebat. Hi enim, cum factis narrandis totos se dederent, tantum se ipsos, aut ipsa facta, aut audientium mentes intuebantur. Quarum omnium rerum tractandarum optimam rationem Augustinus nec ignorat, nec spernit, sed eam ad theologiam, ad lyrica carmina, aut ad immensum et quasi divinum amorem accommodat. Quapropter suam sententiam non verbis amplificat, ut in factis narrandis immoretur, sed eis utitur ut sine ulla intermissione ad Deum viventem, optimum, potentissimum et pulcherrimum ascendat. Ipsum quidem audiamus : « Et « adhuc ascendebamus interius, cogitando et loquendo, « et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras, et « transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis « indeficientis, ubi pascis Israel in æternum veritatis « pabulo ; et ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia « ista et quæ fuerunt et quæ futura sunt (1).» Unde sequi-

(1) *Confessiones*, l. I, cap. x.

tur ut noster piissimus et altissimus narrator res narrandas « modice attingat, toto ictu cordis et suspiret et in Deo « primitias spiritus relinquat.» In quodam suavi sermone hæc reperimus : « Lazari et divitis historia. Pauper iste « miserabiliter fuit infirmus ; nec saltem ipsius tenebat « sanitatem corporis, quod est patrimonium pauperis. « Ulcerosus etiam fuit, canes lingebant ulcera ejus. Erat « autem in illa domo dives qui induebatur purpura et « bysso, et epulabatur quotidie splendide, et nolebat « fidem possidere cum paupere... Mortui sunt ambo. « Contigit mori inopem illum et auferri ab Angelis in « sinum Abrahæ. Mortuus est dives et sepultus : et cum « apud inferos, ut legimus, in tormentis esset, levavit oculos suos a longe et vidit pauperem in sinu Abrahæ, quem « contempsit ante januam suam. Non cum illo potuit habere communem requiem, cum quo fidem noluit habere « communem. Pater, inquit, Abraham, mitte Lazarum ut « intinguat digitum suum in aquam et stillet in linguam « meam ; quia crucior in hac flamma. Responsum est : « Memento, fili, quia percepisti bona tua in vita tua, « Lazarus autem mala ; nunc ergo hic requiescit, tu vero « torqueris... Mitte ergo, inquit dives, Lazarum : habeo ibi quinque fratres, dicat eis quid hic agitur, « ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et « contra hoc responsum est : Moysen habent et prophetas ; ipsos audiant. Ille qui solebat irridere « Prophetas, simul utique cum fratribus suis ; credo « enim, imo non dubito, quia cum ipsis fratribus suis loquens de Prophetis, monentibus bona, prohibentibus « mala, terrentibus de tormentis futuris et futura præmia promittentibus, irridebat hæc omnia, dicens cum « fratribus suis : Quæ vita post mortem ? Quæ memoria « putredinis ? Qui sensus cineris (1) ? »

(1) *Serm.* XLI, 4.

Nonne quidem illum sanctum narratorem, nostrum Augustinum, et peritissimum oratorem et pauperum amicum patronumque et theologicum scriptorem esse declarare possumus? Dolendum est certo ejusmodi oratorias virtutes etiamnunc quasi ignotas esse, ob eam causam quod plerique litterati viri orationibus sancti Augustini non æque ac orationibus Tullii aut præstantissimi e nostris Gallicis episcopis dare operam solent.

Itaque, hoc meo opusculo conatus sum si possem eruditorum virorum et scriptorum, qui nunc sunt, animos oculosque in gratissimas narrationes convertere.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

a. d. VII idus dec. ann. MDCCCLXXXXI,

Facultatis Litterarum

in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX RERUM

Nimes. — Imp. Gervais-Bedot, place de la Cathédrale.



